



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Theologia Polemica

Burghaber, Adam

Fribvrgi Helvetiorvm, 1678


Summus Pontifex.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72462)



SUMMUS
PONTIFEX.

Quemadmodum Romana Ecclesia Pontifex summus in terris veluti Christi Vicarius obtinet dignitatis locum, potestatem, pollet supremam, ita maximi momenti controversia circa eundem movetur, quae Card. Bellarminus tantum facit, ut in praefatione ad libros de summo Pontifice dicere non dubitet, in eis de summa rei Christiana agi. Disceptatio autem omnis inter Catholicos & Hereticos fere est de Pontificatu S. Petri, de hujus Successoribus, de Autoritate & potestate Papae, de Antichristo, quem heretici dicere audent esse Romanum Pontificem. Singula horum sequentibus controversiis expendemus & decidemus.




CONTROVERSIA XXIV.

QUALE REGNUM CHRISTI
IN ECCLESIA SUA INSTITUERIT.

I. Errum est apud omnes, in Ecclesia esse Regimen aliquod, & quidem Ecclesiasticum, Spirituale, & distinctum à Politico, ut patet ex illo Pauli Actor. 20. v. 29: *Attendite vobis & universo gregi, quos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Dubium autem, quale illud sit; In Philosophia Morali modus gubernandi triplex assignatur; Nimirum *Monarchicus*, cum unus Dynasta supremus omnibus praestit, ut Imperatores, Reges &c. *Aristocraticus*, cum aliquot Optimates delecti pari jure subditos gubernant, ut modò fit in Holandia: *Democraticus*, cum totus Populus communi jure ac suffragiis Republicam moderantur, ut apparet in aliquibus Partibus Helvetiae. Ex his tribus modis simplicibus gubernationis inter se permixtis quatuor alij mixti Regiminis prodeunt; videlicet Una temperata ex omnibus tribus: Altera ex Monarchia & Aristocratiâ: Tertia ex Monarchia & Democratia: Postrema ex Aristocratiâ & Democratia.

II. Ex his optimum genus Regiminis esse Monarchiam, docent cum S. Thom. 1. part. q. 103. art. 3. & alibi communiter alij Theologi. Suadent 1. Autoritate, ita enim senserunt tum antiqui Sapientes Plàto, Aristoteles, Herodotus, Philo, Demosthenes, Isocrates, Cicero, alij. Tum SS. Patres Athanasius, Hieronymus, Cyprianus, Justianus & alij; imò non tantum est ea Sapientum & Patrum mens & consensus, sed universi Orbis usus, ut colligitur ex illis verbis Israelitarum (qui tamen constitutam à Deo formam mutare cupientes peccaverunt) Regem postulantium 1. Reg. 8. v. 5. *constitue nobis Regem, ut judicet nos, sicut universae habent Nationes.* Suadent 2. ratione veluti à priori, quam fuse deducit S. Thomas in opusc. de Regim. Princip. Lib. 1. à cap. 1. usque ad 3. breviter sic se habet. In Monarchia maximè facillimeque concordia & animorum unitas (sine qua Respublica consistere nequit: vix ulla sub illa perijt) conservari potest: aegre autem in Aristocratiâ & Di-

mocratia; etenim sub uno facile servatur unitas: plura autem capita difficulter inter se consentiunt, & non raro: *quot capita, tot sententiae.* Suadent 3. exemplo ipsius Naturae, cujus instinctu *bellina unum Ducem sequuntur*, ut ait S. Cyprianus in Tract. de idolorum vanitate, *Rex unus apibus, Dux unus in gregebus, & in armentis Rector unus;* scilicet. Natura sequitur Authorem suum DEUM, qui unus est. Ergo unum etiam Ducem in Republ. esse oportet. Videri possunt Bellarminus Lib. 1. de Pontifice à cap. 1. Sanderus Lib. 3. Visibilis Monarchia. Adam Contzen Lib. 1. Politic. &c. Hoc praemisso.



PARS PRIOR

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

III. Doctrina prima. Christus Dominus noster in Ecclesia sua Monarchicum instituit Regimen. Doctrinam hanc fuse & solidè ostendit Card. Bellarminus Lib. 1. cit. maximè cap. 9. Probat à nobis breviter 1. ex Sac. Scriptura, quae Ecclesiam passim comparat Regno, nominatim Daniel. 2. v. 44. *Ovili* Joan. 10. v. 16. *Exercitus ordinato* Cant. 6. v. 9. *Domus* Timoth. 3. v. 15. *Navis seu Arca* 1. Pet. 3. v. 20. Regnum autem est Monarchicum & uni subiectum Regi, sicut castra ordinata uni Imperatori, Domus uni Domino & oeconomò, Navis uni Gubernatori, Ovile denique uni Pastori; unde Christus loc. cit. ait: *erit unum Ovile & unus Pastor.* Non obest, duos subinde videri oeconomos unius domus, duos Imperatores unius exercitus; quia in rebus moralibus regulae non nisi à communiter contingentibus desumi solent.

IV. Prob. 2. Christus Sapientissimus & Ecclesiae suae amantissimus utiq; optimum regimen in ea instituit. Atqui optimum esse Monarchicum, recens diximus. Infert Tobias Wagner Lutheranus in censuris motivorum D. Besoldi, Regimen Papale sic fore haereditarium, cum juxta Politicos apud Lipsium Lib. 2. monit. polit. cap. 4. Monarchia haereditaria praestet electivae propter varias hujus discordias, ambitiones, ac corruptelas. Negamus illatum; si Deus peculiari sua Providentiâ electioni assistat, uti juxta promissionem & verba sua Matth. 16. v. 19. & ibid. cap. 28. v. 29. adest semper Electioni novi Papae, quae idcirco nunquam penitus corrumpitur, sed inter omnes difficultates suam obtinuit successum; unde Regimen Ecclesiae diutius jam stetit, quam ulla Monarchia Politica Electiva.

V. Urgent Amelius Calvinista Tom. 1. contra Bell. fol. 129. Nullum regimen optimè aut utilissimum vocari posse, nisi habità ratione subiecti, cui ad finem suum dirigendo inservit. Sed istud minimè est contra nos; Etenim asserimus, per se loquendo, quamvis hominum & Angelorum Republicam melius Monarchicè, quam Aristocraticè aut Democraticè purè gubernari; quidquid sit de hoc, quod temperamentum aliquod ob humanas imperfectiones Monarchia utiliter admittat. Ac talem formam Monarchicam Aristocratiâ & Democratia temperatam Christum in Ecclesia sua instituit; cum in ea praeter Supremum Caput seu Papam sint Episcopi (veri Principes & Pastores,

V 2

non

gha
ber
ologia
emica
XI

non solum vicarij Pontificis summi) & nemo ex omni Christianorum multitudine sit, qui ad Episcopatum vocari non possit, si tamen eo dignus munere judicetur; per hoc Democratia: per illud Aristocratia Monarchiæ admixta apparet, ut bene notat Bellarminus lib. 1. cit. cap. 3.

VI. Prob. 3. Synagoga Judaica fuit umbra seu typus Ecclesiæ Christi. Atqui hæc fuit Monarchica; semper scilicet uni Pontifici subiecta, ut patet ex lib. Exodi, Levitici, & Deut. Ergo & Christiana Ecclesia, ut respondeat suæ figuræ, Monarchica esse debet, uni summo Pontifici subiecta, ut bene argumentantur Catholici Doctores passim. Negant paritatem Pet. Molinaus in suo Neo-Papatu fol. 260. & alij Sectarij communiter; quia, inquit, Synagoga Judaica fuit valde exigua: Ecclesia autem Christiana est amplissima, cui proinde gubernandæ solus DEUS par esse possit. Verum quod hominibus impossibile videtur, id fieri per gratiam DEI facile potest, ut ait Christus Matth. 19. v. 26. *Apud homines hoc impossibile est, apud DEUM autem omnia possibilia sunt.* Hæc ergo DEI gratiâ adjutus Summus Pontifex non modò potest universam Ecclesiam regere, sed etiam facile utiliterque id præstare.

VII. *Doctrina secunda.* Primus Rex & Monarcha Ecclesiæ fuit, semperque manet Christus Dominus: Ita testatur S. Paulus ad Ephes. 5. v. 23. *ajens: Christus est Caput Ecclesiæ.* Pro intelligentia hujus doctrinæ tria sunt observanda. *Primum.* Nomen Capitis duobus modis sumitur; propriè pro naturali capite humani corporis, cujus officium est, dirigere membra corporis: & metaphoricè pro morali capite seu Principe Communitatis, quo modo impræsentiarum accipitur. *Secundum.* Christus in hac vita existens fuit Caput Ecclesiæ Visibile & Invisibile; quia partim visibili partim invisibili modo Ecclesiam gubernavit, id quod ex similitudine capitis naturalis clarescit; quamvis Apostolus loc. cit. aliâ utatur. Nam sicut Caput naturale duobus modis gubernat corpus humanum, 1. per influxum, quo derivantur ex illo tanquam principio Spiritus sensitivi in reliqua membra, ut inde hæc vitam conservare, & functiones peragere possint. 2. per externam directionem in eo consistentem, quod caput per intellectum, voluntatem, visum, auditum & alios sensus, qui in eo vigent, dirigat reliqua membra in externis actionibus suis, ne aberrant. Ita Christus etiam in hac vita existens duobus modis rexit Ecclesiam suam, scilicet tum per internum influxum donorum gratiæ, juxta illud Joannes 1. v. 16. *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Tum per externam directionem, ordinando Ministros & Sacerdotes, faciendò Legem Evangelicam, docendo, hortando, increpando &c. *Tertium.* Christus in cælo existens adhuc manet Caput Ecclesiæ, & manebit usque ad finem mundi; attamen solum Invisibile. Nam licet non amplius præsens sit, uti requiritur ad Caput visibile, nihilominus gubernat Ecclesiam suam modò invisibili, nempe per influxum internum donorum gratiæ, & directionem Spiritus Sancti juxta illud Matth. 25. vers. 20. *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi;* Unde aliud visibile Caput dari oportet, pro quo fit.

VIII. *Doctrina tertia.* Christus ascendens in cælum, etsi retinuerit supremum Ecclesiæ Regimen, attamen suo loco substituit aliquem Visibi-

lem Vicarium, sicut in absentia Regis solet aliquis in regno constitui, qui vicem illius suppleat in externa Politia, præsertim si Rex longo tempore absuturus sit. Ratio hujus doctrinæ facile patet. Quia Regimen Ecclesiæ manere debet tale, quale Christus instituit. Atqui Christus ante Ascensionem suam instituit Regimen Visibile sub uno Capite juxta illud ad Colossens. 1. v. 18. *Ipse est Caput omnis Ecclesiæ,* scilicet, etiam primæ, in qua illum Apostoli & alij Fideles oculis suis contempserunt, quorum oculos Christus idcirco beatos prædicavit Matth. 13. v. 16. Ergo tale debet manere. Quemadmodum igitur ipse fuit Visibile Caput ante Ascensionem, ita post ipsam debet aliquid aliud visibile Caput loco Christi esse; alioquin Regimen Ecclesiæ, adeoque ipsa Ecclesia fuisset mutata, quod est absurdum.

IX. Confirmatur. Christus utique nec voluit, nec debuit velle unquam, Regimen Ecclesiæ suæ esse contra naturalem, humanum, ac divinum regendi modum ac constitutionem. Sed non solum Unitatem, sed etiam Visibilitatem Capitis attendunt, & in suo regendi modo observant Naturam, DEUS, ac Homines. Ergo &c. Major patet ex suavi Dei providentia, & gratiæ cum natura conformitate. Minor ostenditur inductione. Nam imprimis Natura docuit omnia animalia suum, quæ ante oculos habent, sequi Ducem. Deinde Reipublicæ nobiliores totius Orbis visibilem semper Principem aut Sacerdotem elegerunt, qui posset verbo aut scripto causas judicare, & à cujus judicio clarè percepto nemo ad alium judicem provocaret. Demum Deus populo suo semper visibilem Principem, Judicem, & Sacerdotem dedit: nec ipse, licet supremus Dominus, quia tamen Invisibilis, regere illum solus absque subordinato Visibili Vicario voluit.

X. Non obstat, Summum Pontificem in veteri Testamento fuisse figuram Christi. Nihilominus minus potuit etiam esse figura minus principaliter Visibilis & Supremi Capitis Ecclesiæ in Novo Testamento. Quia totum novum Testamentum habet Analogiam cum Veteri, adeoque etiam cum Sacerdotio, quod satis indicat Apostolus 1. ad Cor. 10. prius enim, quam v. 11. scribat: *Hæc omnia in figura contingebant illis, dicis vers. 10. neque murmuraveritis, sicuti quidam eorum murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore;* quæ autem aliâ murmuratio hic intelligitur, nisi illa, quam sæpius præsertim Num. 14. cum ingenti suo damno contra Moysen non solum Politicæ, sed etiam Ecclesiæ suæ Summum Caput & contra Fratrem ejus Aaron exercuerunt.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

XI. *Error primus.* Christus in Ecclesia sua non instituit Monarchiam Spiritualem, quale Papistæ adstruunt. Ita Jacob. Heilbrunner Lutheranus in Papatu suo non-Catholico pag. 269. Nititur vnicè verbis Christi Joan. 18. v. 36. *Regnum meum non est de hoc mundo.* Sub quibus subsumit: Atqui Regnum Papale est de hoc mundo, cum more mundanorum regnorum ipsi Papæ alij

pæ alij juramentum, & obedientiam promittant. Ergo &c. Calvinus etiam errat. Lib. 4. Instit. cap. 7. ratus non expedire, ut unus Ecclesiæ toti præsit, sicuti non expedit, ut unus orbi toti in temporalibus dominetur.

XII. Error iste est planè peculiaris hujus Prædicantis; cæteri enim Novatores fatentur, Ecclesiæ regimen esse Monarchicum & Spirituale: aliud tamen Caput præter Christum in eo permanere, omnibus modis negant, ut videbimus. Hoc ipsum expressè hic tenet ipsemet Hailbrünner, affirmans Lutheranos non agnoscere aliud in Ecclesia Caput, præter Christum. Ergo iste est Supremum Caput Ecclesiæ, & hanc gubernat. Ergo habet regnum in mundo, & quidem Monarchicum, atque hujus super terram Vicarium. Quod autem iste Principatum habeat, & quid hoc ad Regimen Ecclesiasticum? si nec latam manum terræ haberet Papa, sicuti primi summi Pontifices nihil prorsus habuerunt, nihilominus in Monarchia Christi foret hujus Vicarius; quippe succedit Papa S. Petro non in sæculari Regimine, sed in Ecclesiæ gubernatione; in qua maxime displicet Prædicanti, Subditos seu Membra Ecclesiæ Papæ obedientiam jurare, & præstare, atque idcirco Monarchiam sæcularè appellat; quasi verò talis ex votis & obedientia evaderet. Ergo si nemo voveret, & obedientiam promitteret, jam Monarchia Spirituales foret?

XIII. In verbis suis ad Pilatum Christus tam parum Monarchiam Spiritualem excludit, quam parum per eam Sectam Lutheranam approbat, sed indicare solum Pilato vult, non habere se Regnum aut potestatem sæculares, quam ipse Pilatus timeat, & periculum sibi ac Cæsari inde instare existimet, uti bene eadem Christi verba interpretatur Cyrillus Alexandrinus in Evangelium Joan. lib. 12. cap. 10. sic scribens: *Liberavit à formidine Pilatum, qui dignitatem Cæsaris in Judæa servare debebat; credidit enim forsitan more hominum, rebellionem à Christo cogitatum fuisse secundum Judæorum nugas. Et mox: Christus autem Pilato respondens, Regem se esse, non negat; mentiri enim non poterat, sed regno Cæsaris non esse hostem ostendit, quia Principatus suus mundanus non est. Similia habent S. Augustin. Tract. 115. in Joan. & alij Patres.*

XIV. Calvinus non advertit ad fundamentum doctrinæ nostræ, quæ non tam in ratione, quam Christi institutione consistit; quamvis etiam convenientia allata sit perquam bona. Discrimen inter gubernationem temporalem mundi & Ecclesiæ Spiritualem est; tum quia ista non habet tam multa negotia: tum quia longissimè diffisos penâ Spirituali coercere facilius potest: tum quia omnia ad gubernationem Spiritualem pertinentia haud difficulter ab uno peraguntur Papa, Episcopis aliisque inferioribus Ministris eum adjuvantibus. Videatur Valentia in Tom. Controversit. fol. 57.

XV. Error secundus. Præter Christum non est aliud Visibile Caput in Ecclesia. Ita post Wiclefsum, Hufsi, Lutherum, Calvinum cæteri Sectarij, ut videre est apud Joan. Gerherdum Lib. 2. Part. 1. fol. 409. & Guilielmum Amesium Tom. 1. cont. Bellarm. fol. 137. Nituntur varijs ratiunculis, quas optime solvit Card. Bellarminus Lib. cir. de Pontifice cap. 9. & ferme in hæreses recidunt, Prima sumitur ex illo Matth. 20. v. 25. & 26. item Luc. 22. v. 26. *Reges Gentium dominantur eorum &c.*

Verum non erit sic inter vos: vos autem non sic. Ex quibus verbis, inquit Calvinus lib. 4. Instit. c. 20. §. 7. Dominus carpit vanam Apostolorum ambitionem, docendo, eorum Ministerium non esse regnis simile, in quibus inter cæteros unus eminent. Secunda depromitur ex vehementi oppositione Patrum contra istam Monarchicam potestatem. Cyprianus in Orat. ad Concil. Carthag. sic scribit: *Neque enim quisquam nostrum Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendum necessitatem Collegas suos adigit; quando habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis suæ arbitrium proprium, tanquam judicari ab alio non possit, cum nec ipse possit alterum judicare, sed expectemus universi iudicium Domini.* Gregorius Magnus, cum Constantinopolitanus Patriarcha titulum sibi tribueret universalis Episcopi, dicit istum titulum esse inventionem superbi atque pompatici cujusdam sermonis, etiam Perum non appellatum fuisse Universalem Episcopum: esse vanitatis nomina, nova & prophana vocabula contra Canonum decreta novum nomen: esse nomen blasphemie, singularitatis vocabulum, inanis gloriæ appetitionem &c. Lib. 4. epist. 32. 34. 38. 38. Et lib. 6. epist. 24. 30. Tertia & negativa ratiuncula ex eo peritur, quod nec Apostolus, nec ejus discipulus Dionysius Areopagita, qui formam Ecclesiæ scripserit, ullam faciant mentionem Pontificis. Nam D. Paulus ad Ephesios 14. v. 11. ait, *Christum dedisse quosdam quidem Apostolos & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus Ministerij, in ædificationem Corporis Christi.* Dionysius verò in lib. de Hierarchia Ecclesiastica; ubi ex instituto gradus & officia Ecclesiastica describit, nullius meminit Summi Pontificis.

XVI. Error iste priore parte, doct. secundâ satis rejectus fuit, solum clariùs ostendo; eum peculiariter repugnare Suavitati & Utilitati gubernationis, quæ visibile Caput requirunt. Suavitati quidem, quia humanæ Naturæ accommodatius est, per aliquem visibilem Dominum gubernari; cum in hac vita humanus intellectus à sensibus dependeat; proinde Christus pro sua suavitatè omnia sensibili modo nobiscum agere solet. v. g. Fidem non per solas inspirationes internas, sed per vocalem prædicationem & scripta Biblia communicat: Media etiam Justificationis, nim. Sacramenta voluit esse sensibilia Aquam, Panem, Vinum &c. Pari ergo modo voluit gubernationem Ecclesiæ esse sensibilem per aliquem Rectorem Visibilem verbo aut scripto gubernantem. Utilitati verò, imò Necessitati. Quia inspirationes internæ sunt admodum difficiles cognitu, utrum à bono vel malo Spiritu proveniant, cum *Satanas crebrò transfiguret se in Angelum Lucis*, 2. Cor. 11. v. 14. Si ergo Christus invisibiliter per occultas inspirationes regere Ecclesiam vellet, multa inde mala sequerentur, videlicet magna inquietudo animique perplexitas ex illa incertitudine oriunda: crebra discordia Fidelium, alio istud, alio aliud à Christo sibi suggestum affirmante, nec esset, qui litem componeret: omnimodus Fidei veræ interitus juxta illud D. Hilarij ad Constantium: *Periculosum nobis admodum, atque etiam miserabile est, tot nunc fides existere, quot voluntates; & nobis tot doctrinas esse, quod mores &c. excidimus ab ea fide, quæ una est; & dum plures sunt, ad id esse ceperunt, ut nulla sit.* Experiuntur planè istud gravissimo malo suo Sectarij moderni, qui ex eo, quod nullum Caput supremum agnoscant, omni vento doctrinæ circumferuntur, & excogitatis quotidie no-

vis erroribus Religionem cum hisce mutant. Non obstat, Hilarium non facere mentionem regiminis Monarchici; ex eo enim, quod dicat, *excidimus à fide*, quæ una est, satis patet, loqui ipsum de Fide Romana, quam cum Concilio Niceno profiteretur.

XVII. Non taceam hic, ex Aatholicis etiam aliquos necessitatem Visibilis Capitis agnoscere. Nam Rex Angliæ se Anglicanæ Ecclesiæ Caput agnoscit, & observari vult, ut fusè scribit Piccardus Harris in Concordia Anglic. de Primatu Ecclesiæ Regio. Protestantes Principes in Germania Jura Episcopalia Magistratui Provinciæ annexa existimant, & quotidiana apud eos praxis indicat. Elector Saxonie controversias inter Tübingenses & Hassios decidit, & hanc suam decisionem typo commisit. Pareus in præfat. comment. Oseea tueri nititur, Principem jure Regio Ecclesiam reformare posse. Quibus aperte adversatur Sac. Scriptura, Principes vocans nutritios, Isaia 49. vers. 29: *minimè verò Capita Ecclesiarum.* Contra eosdem Ecclesiasticam potestatem Principibus sæcularibus attribuentes est, tum quia potestas Ecclesiæ neque ex Naturæ neque Hominum lege, sed ex DEI ordinatione provenit. tum quia in Novo Testamento nec unus locus ostendi potest, in quo Magistratui Sæculari potestas in Ecclesiam conceditur. tum quia nec Traditio nec mandatum vel Apostolorum vel Ecclesiæ Catholicæ exhibetur, vi cuius simile quid permittitur, uti attestantur Patres Chrysost. hom. 4. & 5. de verbis Isaia, Gregor. Nazianz. ad cives Nazianzenos, & præter alios Athanasius in Epist. ad solitariam vitam agentes, qui Principem sæcularem sibi potestatem in Ecclesia attribuentem Anti-christo comparat. Nunc ad ratiunculas Adversariorum.

XVIII. Respond. *Primò.* Christum Dominum verbis illis apud Matth. & Lucam *Reges Gentium &c.* non removisse ab Ecclesia sua Visibile Caput, sed potius constituisse, & monuisse, eam esse diversam à civili Monarchia Gentium; quippe non ait, vos non præsidebitis, sed *non sicut Reges Gentium*, quo ipso loquendi modo innuit, regimen se illis concessurum, aliter tamen administrandum, ac fieri à Gentibus solet. Apparet hoc clarè in verbis Christi immediatè sequentibus: *Qui Major est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor* (græcè ὑποτακτικός id est, Dux & Princeps) *fit, sicut ministrator.* Quæ Verba frustranea & non vera sunt, si nullus ex illis Major, aut Caput aliorum unquam fuerit; quomodo enim major fieri potest, sicut minor, & præcessor sicut ministrator, si nullus fuerit major alijs, aut nullus præcessor aliorum? Itaque ruit objectio hæc ex ipsis Christi Verbis. Nihilominus

XIX. Urget Amefius Tom. 1. fol. 133. Illud Regimen removetur à ministris Ecclesiæ, quod tribuitur Regibus. Atqui Regibus nihil tribuitur nisi dominium & imperium. Ergo à Ministris Ecclesiæ illud removetur. Ergo non est aliud in Ecclesia Christi Caput visibile præter Christum, qui solus imperium & dominium habet. Respond. negando Min. Nam Regibus hic non tribuitur qualecunque imperium, sed Despoticum & Hereticum proprii commodi causâ exerceri in subditos solitum; & hoc quidem Christus interdixit: Nos autem nullatenus illud vel affirmamus vel approbamus in Ecclesiæ Ministris. Porro distin-

guendum inter hæc tria, Imperium scil. Dominium, & Ministerium, quæ Amefius cæterique Sectarij semper confundunt. Nam Regimen Ecclesiasticum est simul imperium & ministerium; non quidem purè humanum, sed imperio divino subordinatum, absque tamen dominio, quod solum à ministerio excluditur; Atque hanc etiam solam dominandi libidinem à suis Christus arceat, quam tribuit Regibus Gentium, qui plerumque Tyranni sunt. Denique Politicum etiam Regimen (quod non est despoticum aut tyrannicum) ministerium est; nempe non in commodum proprium, ut Herile dominium, sed ut patria potestas in bonum filiorum institutum. Cur ergo Ecclesiæ Regimen, etiam si ministeriale sit, simul Monarchicum & Imperiale esse non possit?

XX. Respond. *Secundò.* Negando Patres ullò modo opponere se huic Monarchicæ potestati. Et mirum sanè, Adversarios istud asserere aude-re. Nam, ut plures alios Romanos Scriptores taceam, qui pro Visibili Capite, & Monarchica Potestate in Ecclesia Christi antiquos & gravissimos Patres tam Latinos quàm Græcos in magna copia adducunt, nonne hoc ipsum luculentissimè præstat Card. Bellarminus, (quem Sectarij devorasse videri volunt) Lib. 2. de Summo Pontif. à Capit. 12. ubi etiam apertissima testimonia ex Cypriano & Gregorio afferit? Dicimus igitur cum hoc & alijs Romanis Auctoribus, Cyprianum loc. cit. loqui de Episcopis, qui in Concilio Carthageniensi erant, & non includere in ea Sententia Romanum Pontificem, qui verè est Episcopus & Pater Patrum. Quando autem dicit, Episcopum non judicari nisi à DEO, exponit illum S. Augustinus lib. 3. de Bapt. cap. 3. in hunc modum: quod Episcopum in rebus dubijs & quæstionibus nondum eliquatissima perspectione discussis in Concilio mentem suam liberè aperire possit, & à Præfide ad suam sententiam cogi non debeat, donec quæstio definita fuerit. Cæterum quod Papa judicare Episcopos possit, ipse Cyprianus agnovit, dum epist. 13. ad Papam Stephanum scribens hortatur istum, ut Episcopum Arelatensem deponi, & ejus loco alium constitui jubeat.

XXI. Gregorium M. titulum Universalis Episcopi sine præjudicio Potestatis Pontificiæ contra Joannem Patriarcham Constantinopolitanum oppugnasse, liquet ex Lib. 2. Epist. 4. ubi Sedem Apostolicam vocat Caput Fidei: *Illud autem admonemus*, inquit, *ut Apostolica Sedis reverentia nullius præsumptione turbetur. nunc enim status membrorum integer manet, si Caput Fidei nullâ pulsetur injuriâ; Imò in Epist. 32. cit. ad Mauritium Augustinum confirmat Monarchicam potestatem Petri: Cunctis, ait, Evangelium scientibus liquet, quod voce Dominicâ Sancto & omnium Apostolorum Principi Apostolo totius Ecclesiæ cura commissa est. Et mox: cura ei totius Ecclesiæ & Principatus committitur, tamen universalis Apostolus non vocatur. Noluit autem Gregorius (& ante illum Pelagius) Universalis Episcopi titulum pati, tum ex humilitate, ut sic superbiam Constantinopolitani Patriarchæ facilius deprimeret, tum & præcipue, quia titulus iste anceps est, &, uti Gregorius sæpius insinuat, interpretationem patitur, quæ Universalis Episcopus esset solus Episcopus, alij alij verò Episcopali dignitate non pollerent, quæ injuriosa est falsitas. Diligenter igitur hæc duo distinguenda, quæ Hæretici confundunt; Nimirum dici *Universalem Episcopum in Ecclesia: & vocari Episco-**

Episcopum Universalis Ecclesie. Prior titulus reprehenditur in Joanne Constantinopolitano Patriarcha: Posterior convenit Romano Pontifici. Et Patres priorem asserunt esse prophanum; blasphemum, & Antichristianum: Posteriorem non item. Discrimen inter utrumque; jam fuit indicatum; etenim qui dicit, se esse Universalem Episcopum, aut Sacerdotem, innuit, solum se esse Episcopum, & alijs omnibus abnuat nomen & honorem Episcopalem; & hoc fecisse Joannem, testatur Gregorius sæpe: qui verò dicit, se esse Episcopum vel Pastorem Universalis Ecclesie; non indicat, se esse solum Episcopum aut Pastorem, sed habere se curam & gubernationem totius Ecclesie; licet alij Episcopi habeant specialem curam & gubernationem Ecclesiarum particularium. Et hoc sensu Papa vocari solet Episcopus & Pastor Universalis Ecclesie, ut fatetur Gregorius lib. 6. epist. 32. alijque ante hunc Pontifices, ut Sixtus 1. epist. 2. Victor 1. epist. 1. Pontianus epist. 1. &c.

XXII. Respon. tertio. Paulum nomine Apostolorum etiam Summum Pontificem inclusisse; siquidem potestas Ecclesiastica pro necessitate illius temporis ad fidem toto orbe disseminandam non solum data est Petro, sed alijs etiam Apostolis; siquidem omnes dicere possunt illud Pauli 2. Cor. 1. v. 28. *instantia mea quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum.* Sed Petro data est; ut Ordinatio Pastori, cui succederetur, uti adductis Patrum testimonijs fuse ostendit Bellarm. loc. cit. Dici etiam posset, Apostolum ideo summi Pontificis specialem mentionem non fecisse, quod tantum voluerit recensere communia Christi dona in plures sparsa, ut indicat pluralis numerus, *quosdam, alios &c.* Pontifex autem est unicus; in quem sensum intelligunt allata verba D. Pauli Chrysost. Theophylactus & alij apud cit. Auct. Quoad S. Dionysium. Indicavit iste alibi satis Pontificatum, nempe c. 5. de div. nominib. ubi Petrum appellat *supremum Decus, & antiquissimum Theologorum Culmen.* Accedit, quod Hierarchiam Ecclesiasticam comparaverit Hierarchiæ Cœlesti, ubi novem Angelorum chori ita dispositi sunt, ut semper inferior à superiore regatur, & tandem omnes à Michael Archangelo, quem S. Scriptura *Ducem Angelorum* vocat Apoc. 12. v. 7. Sicut è contrario Lucifer est Supremus Dux diabolorum.

XXIII. Urgent Adversarij illud ad Rom. 12. v. 5. *Multi unum Corpus sumus in Christo: Singuli autem alter alterius Membra.* Sed frustra; siquidem Apostolus discretè ibi loquitur de Christo, quatenus est Caput Ecclesie per internum influxum donorum gratiæ, quo modo utriusque; verum est, omnes Fideles etiam Petrum & Pontificem esse membra, non Caput; omnes quippe accipiunt gratiam à Christo tanquam à Capite, nullus autem à Petro vel Pontifice. Si autem loquatur de Christo, quatenus est Caput Ecclesie per externam gubernationem; tunc non solum ipse, sed etiam Petrus est Caput; ille quidem primarium & propriam virtutem: iste verò secundarium & virtute ab illo participat. Instant. Sic erit Ecclesia biceps. Quid hoc absurdum aut novum; si unum ex duobus capitibus alteri sit subordinatum? Nunquid mulier præter virum, qui juxta Apostolum Ephes. 5. v. 23. *caput est mulieris*, habet etiam naturale Caput in suo corpore?



CONTROVERSIA XXIV.

AN CHRISTUS DOMINUS

S. Petrum suo loco Pontificem ordinaverit?

Nomine Summi Pontificis intelligitur summus Sacerdos, qui supremam totius Ecclesie regendæ Authoritatem à DEO habet, & cui tanquam Vicario Christi in terris omnes Fideles in rebus Spiritualibus obedire debent: & Ipse nulli.



PARS PRIOR.

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. *Doctrina Prima.* Petrus Apostolus fuit summus Pontifex à Christo constitutus. Ita omnes Catholici. Prob. 1. ex Sac. Scriptura. In primis Matth. 16. v. 18. Christus dicit Simoni: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ubi omnes fere Interpretes sentiunt; Petrum fundamentum esse; non quidem primarium & principale; id enim est solus Christus, sed secundarium, & ut Vicarium ipsius Christi. Afferamus unum & alterum. D. Athanasius in epist. ad Felicem, quam scripsit nomine suo & Synodi Alexandrinæ: *Tu es, inquit, Petrus, & supra fundamentum tuum, Ecclesie columna, id est, Episcopi sunt confirmata.* Ubi S. Pater eleganter Petrum facit fundamentum; quo nituntur Episcopi; super quos ut columnas totam ædificium collocatur. S. Hieronymus ait, in cit. cap. 16. Matth. *sicut ipse (Christus) Lumen Apostolis donavit, ut lumen Mundi Matth. 5. appellarentur, ceteraque, ex domino sortiti sunt vocabula, ita & Simoni, qui credebatur in Petram Christum 1. Cor. 10. Petri largitus est nomen, ac secundum Metaphoram Petra rectè dicitur ei, ædificabo Ecclesiam meam super te &c.* ubi iste etiam Pater non tam Petrum, quam ejus Sedem vocat Petram, super quam fundatur Ecclesia insuperabilis; quia Petrus est Petra, non ut particularis homo, sed ut Pontifex.

II. Dicunt Molinaus, Amelius & alij apud Gerhard. lib. 1. P. 2. fol. 296. & alibi. 1. Nominè Petre aliquos Patres intellexisse ipsam confessionem Petri. Sed hoc non enervat testimonij vim pro intento nostro, quia ea explicatio non excludit priorem, quæ est litteralis; imò ab ea non est diversa; quippe Fides Petri est utriusque aliquid Petri; super hanc autem Fidem Petri, non super aliam ædificavit Christus Ecclesiam suam, quæ deficere non potest ex oraculo ejusdem Christi Domini Luc. 22. vers. 32. Dicunt, 2. eosdem Patres nomine Petre aliquando intellexisse Christum. Verum hoc quoque priorem expositionem non evertit, ut vel inde constat, quod Christus ibi promiserit Petro aliquid de futuro, sicut innuit verbum: *ædificabo.* At supra seipsum jam de præsentem noverat Ecclesiam fundatam. Ergo ibi aliud à Christo fundamentum denotabatur, nempe Primatus Petri post Resurrectionem

nem

nem concedendus. Dicunt. 3. Petrum gessisse figuram Ecclesiae. At hoc itidem non arcet Primatum Petri, sed istum infert; quia Christus ipsi tanquam Praeposito & Capiti locutus fuit, ut pulchre advertit S. Augustinus in q. q. Vet. & Novi Testam. quaest. 75. ubi circa verba illa Domini: Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua &c. sic scribit: quid ambigitur? pro Petro rogabat; & pro Joanne, Jacobo non orabat, sicut ceteros taceam? manifestum est in Petro omnes contineri, rogans enim pro Petro, pro omnibus rogasse dignoscitur; semper enim in Praeposito populus aut corripitur aut laudatur.

III. Instant, eam promissionem Petro nomine omnium Apostolorum, ideoque omnibus, imò toti Ecclesiae fuisse pari modo factam. Sed contra hoc est, quod revelatio illa (*caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus &c.* de qua Christus v. 17.) communiter intelligatur soli Petro facta, atque ideo soli illi praeter alijs data promissio Praelaturae; & sane facer textus haud obscure id ostendit; etenim soli Simoni ea occasione Christus mutavit nomen, eum appellando Petram, quae est apta ad fundamentum. Unde sic argumentamur. Fundamentum totius Ecclesiae est Summus Pontifex, quia huic ceu basi omnes innituntur, omnesque Fideles ab eo pendent. Atqui Petrus fuit fundamentum totius Ecclesiae. Ergo &c. Negant Adversarii Maj. Nam, inquiunt, licet Petrae nomen accipiatur de Petro, inde tamen non probatur; illum fuisse Summum Pontificem; siquidem omnes Apostoli fuerunt Petrae & Fundamenta Ecclesiae. Ephes. 2. v. 20. *Superaedificati estis super fundamentum Apostolorum & Prophetarum.* Et Apocal. 21. v. 14. *murus Civitatis habens 12. fundamenta & in ipsis duodecim nomina Apostolorum;* & tamen non omnes Apostoli fuerunt Summi Pontifices; alioquin Ecclesia non fuisset Monarchia. Ergo ex nomine Petrae seu fundamenti Ecclesiae non bene probatur Petri summus Pontificatus. Dicitur, quando ceteri Apostoli in Sacra Scriptura vocantur fundamenta Ecclesiae, intelligi solum fundamenta tertiaria supra Petrum, & ultimam supra Christum exstructa. Neque nos argumentamur ex nomine fundamenti simpliciter accepto, sed ex speciali modo, quo Petrus à Christo praeter alijs Apostolis praesentibus fundamentum est appellatus, quo significabatur, illum peculiari modo praeter ceteris Apostolis fore Ecclesiae fundamentum, ut ex sequent. magis constabit. Ridiculum autem est, quod nominatim Molinæus hic lib. 2. fol. 271. in oppositum movet, inquiens, Ecclesiam Christi fuisse ante Apostolum Petrum. Cum tamen Christus dixerit Petro, quod super istum aedificare primum Ecclesiam suam velit. Potestne domus prius esse, quam aedificetur?

IV. Porro Joannis 21. v. 18. Christus post Resurrectionem suam rursus dicit Petro: *Pasce oves meas;* quem locum omnes fere Patres ad propositum nostrum explicant, ajuntque, Christum Primatum Ecclesiae ante Petro promissum actu contulisse, tertium repetendo adducta verba, atque hinc totius Ecclesiae per metaphoram ovilis significatae curam ipsi imposuisse, & consequenter generalem potestatem ad id munus necessariam illi impertivisse. Videantur Patres apud Valentiam in opere Controversifico relati fol. 53. Ex quibus unum duntaxat adduco S. Cyprianum, qui de Univ. Eccles. sub initium sic de Christo ad Petrum loquente scribit: *Eidem post resurrectionem suam dixit:*

pasce oves meas; super illum unum aedificat Ecclesiam suam, & illi pascebas oves suas; & quamvis Apostolis omnibus parem potestatem tribuat & dicat: sicut misit me Pater, & ego mitto vos; Et accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis &c. tamen, ut Unitatem manifestaret, & unam Cathedram constitueret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua Autoritate disposuit. Hoc erant utiq; ceteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio praediti honoris & potestatis (in Apostolatu) sed exordium ab unitate proficiscitur, Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia & una Cathedra monstraretur &c. Unde sic argumentamur. Universalis Pastor ovium Christi est summus Pontifex; huic enim tanquam Vicario Christi Fideles omnes in rebus spiritualibus obedire debent, & ipse nulli. Sed Petrus fuit universalis & supremus Pastor ovium Christi, ut patet ex cit. loc. Scripturae, & verbis S. Cypriani; pascebre namque aliquas oves, non omnes, nihil fuisset speciale praeter ceteris Apostolis, quod debuisset ei, ut praemium singulare, concedi. Ergo fuit summus Pontifex.

V. Negant rursus Sectarii apud Amesium Tom. 1. fol. 153. Molinæum Lib. 2. fol. 278. & Gerhardum Lib. 1. part. 2. fol. 299. & Lib. 2. p. 1. fol. 443. hinc evinci supremam & Universalem, hoc est, Pontificiam Potestatem. Tum quia verbum pasce non significat potestatem gubernandi, sed officium praedicandi, docendi, instruendi juxta illud Jeremiae 3. v. 15. *pascent vos scientia & doctrina;* Et Bernhadi Lib. 4. de Confid. cap. 3. agentis, evangelizare est pascere. Tum quia nomine ovium indefinite sumpto non omnes Fideles designantur; siquidem non omnes fideles sunt oves Christi, sed multi haedi in extremo judicio separandi Mattha. 25. v. 33. imò solos Judaeos Petro commissos indicat D. Paulus ad Gal. 2. v. 7. Tum quia ipsi Apostoli non fuerunt Petro subjecti, utpote Pastores, non oves curam indigentes. Respon. ad 1. Verbum pascere non solum in latina lingua, sed etiam graeca & hebraica tum apud prophanos Scriptores, tum in ipsa etiam S. Scriptura significare & pascebre & regere; speciatim in 2. Reg. 5. v. 2. & Ezech. 34. v. 23. Ubi de Christo dicitur: *& suscitabo super eos Pastorem unum, qui pascat eos, & ipse erit eis in Pastorem.* Et Isa. 44. v. 28. *Cyro Regi dicitur: Pastor meus es.* Et Homerus Regem Agamemnonem saepe vocat Pastorem populorum. Unde Jeremias & Bernardus non exposuerunt totam vim verbi hujus, sed tantum partem, scilicet praedicationem & instructionem, cui adjuncta jurisdictionis gubernativa facit plenum pastorem. Ad 2. Nomine Ovium omnes intelligendos esse Fideles, tum ob rationem indicatam, tum quia, licet in rigore dialectico nomen indefinite sine aliquo signo positum tantum pro uno sumatur, tamen in rebus moraliter propter circumstantias saepe Universaliter sumitur. v. g. si quis in testamento alterum scribit heredem suorum bonorum, omnia bona intelliguntur; alioquin non posset sciri, quae bona illi deberentur, ita Petrus non potuisset scire, quorum ovium sibi esset cura habenda, si tantum aliqua fuissent intellectae; unde infertur, nomine ovium hic non solum praedestinatos intelligendos, sed etiam omnes omnino Fideles, quos S. Scriptura oves vocat Psal. 23. v. 1. *ajens: iratus est furor tuus super oves pascuae tuae.* Ad 3. Ipsos quoque Apostolos fuisse Petro subjectos; quippe diverso respectu fuerunt Pastores simul & oves; prius

prius respectu Fidelium ab ipsis converforum: posterius autem respectu Christi, cujus vices gerebat Petrus. Et licet quoad suam correctionem idem non indiguerint Petri curâ, tamen ad bonum publicum totius Ecclesie in concordia & charitate conservandâ necessaria fuit Petri directio. D. Paulus ad Galat. non dicit, solos Judæos Petro commisso quoad gubernationem, sed quoad prædicationem, quia Petrus potissimum Judæis prædicavit, sicut Paulus gentibus. Videatur Valentia in Opere Controversiæ. fol. 54. Ubi recte has Calvini & Sectariorum obiectiunculas vocat levissimas contra pondus tanti tamque illustri testimonij, quo Primatum D. Petri Catholici confirmant.

VI. Demum in Scriptura Sac. D. Petrus multis prærogativis, tanquam signis altioris potestatis, cæteris Apostolis præfertur. Nam *Primo* solius inter Apostolos nomen Christus mutavit, atque ita quidem, ut pro Simone eum vocandum statueret Cepham sive Petrum, Joan. i. v. 42. Cur? nisi ut officio ac muneri suo futuro statim ab initio conveniens nomen obtineret, & ex Simone, hoc est, obediēte & communi discipulo Christi reipsa quandoque suo tempore fieret Petra Ecclesie, ac Caput Apostolorum. Sunt quidem alijs etiam Apostolis alia nomina indita, sed longè aliâ ratione, nihilque de fundamento Ecclesie & Vicariatu in illis insinuatum. *Secundo*. Quotiescunque Evangelistæ nomina duodecim Apostolorum recensent, semper Petrum primo loco ponunt, cum tamen nec ætate, nec vocatione, alios antecesserit, sed Andreas frater ejus senior & prius vocatus fuerit. Ergo hujus antepositionis non potest alia causa excogitari, quàm præstantia officij & dignitatis: Nec refert, etiam Jacobum Gal. 2. v. 9. prius nominatum fuisse. Nam unica talis præpositio non probat primatum potestatis, sed frequens & ordinaria, quam Evangelistæ in Petro observaverunt. *Tertio*. Matth. 16. v. 17. in professione fidei Petrus omnes præcessit, & ideo singulariter à Christo fuit laudatus. Pro fide etiam Petri Christus speciatim oravit, ut ipsemet testatur Luc. 22. v. 32. *Rogeti pro te, ut non desiciat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Propter hanc immobilem fidem Christus super Petram, hoc est, personam Petri ædificavit Ecclesiam suam. In quem modum intelligendi Patres, quando asserunt, Ecclesiam esse fundatam super fidem & confessionem Petri, dicere volunt, propter præstantem fidem Petro singulariter à DEO concessam super ipsius Petri personam & officium vicariatus Christi fuisse Ecclesiam ædificatam. *Quarto*. Ibidem v. 19. dicit Christus Petro: *Et tibi dabo claves Regni colorum &c.* per quas claves intelligi summum Pontificatum cum annexis, sumitur ex *Isaia* 22. v. 22. ubi de Sobna dicitur: *dabo clavem Domus David super humerum ejus &c.* Id est, summam potestatem & præposituram Templi, ad quem locum Christus alludit, ut proinde locus ille sit huic parallelus non quoad rationem contractam, sed abstractam Principatus Ecclesiastici, qui utrobique promittitur; in veteri autem Testamento principatus ille non continebat remissionem peccatorum & ministerium verbi, quæ in Novo Testamento Principatui Ecclesiastico annexa sunt. Atque hinc satisfit argumento, quod Gerhardus Lib. 2. p. 1. fol. 444. contra hanc prærogativam objicit. *Quinto* Christus Matth. 17. v. 26. exigentibus tributum jussit

dare staterem in ore piscis repertum pro se & pro Petro, nullâ de alijs Discipulis factâ mentione, quasi Petrum inter illos præcipuum, sibi que dignitate propinquorem, & in officio Pontificali Vicarium designans, quod à cæteris Apostolis animadversum scribit S. Hieronym. in cap. 16. Matth. *quia viderunt pro Petro & Domino idem tributum redditum, ex aequalitate pretij arbitrati sunt, Petrum omnibus Apostolis esse prælatum, eò quod in redditione tributi Domino fuerit comparatus. Sexto* demum Christus redi-vivus prius Petro, quàm alijs Apostolis, se videntem præbuit Luc. 24. v. 34. 1. Cor. 15. v. 5. Frustra autem dicunt Adversarij, Petrum propter præcedentem lapsum & abnegationem fidei eguisse primâ resurgenti Christi apparitione; qui jam erat conversus, & suum lapsum amare desicuerat. Matth. 26. v. 75.

VII. Ex his alijsque Petri prærogativis si non singulis seorsim, saltem omnibus simul sumptis pro ejusdem Pontificatu haud infirmum ducitur argumentum; quippe hinc apparet singularis amor Christi erga Petrum, cujus alia causa assignari non potest, quàm officij eminentia, cum nec senior, nec prudentior fuerit alijs Apostolis, ut diximus. Ait Amelius fol. 158. Cum non definiatur, quid per Prærogativam intelligatur, nihil ex illis prolixè enarratis convinci. Inane planè & lepidum effigium; quid opus est definitione, ubi res omnibus è vulgo notissima est? diximus prærogativam esse peculiarem benevolentiam & singularem Amorem Christi erga Petrum præ alijs exaltandum. Væcet ipse Puritanus favorem, beneficium, prælationem, per nos licet; modò illam prærogativam inde semper concipiamus tanquam indicem summæ D. Petro super alios eminentiæ vel promissæ, vel etiam jam concessæ. Videatur Tannerus Tom. 3. Theol. Scholast. Disp. 1. §. 4. dub. 2. fol. 218.

VIII. Probatur doctrina nostra 2. ex Autoritate Patrum tum Latinorum tum Græcorum, qui Petrum Caput & Principem Ecclesie agnoverunt, & fusè adducuntur apud Bellarminum lib. 1. de sum. Pontif. cap. 25. Gregorium de Valentia in opere Controversiæ. fol. 58. Jacobum Gualterium in Tabulis chronographicis per singula sæcula ab exordio Ecclesie. Bernardinum Vetrveis in specul. veræ Eccles. à fol. 203. & alios. Ex Græcis. Origenes in cap. 6. ad Rom. *Petro, inquit, cum summa rerum de pascendis ovibus traderetur, & super ipsum velut super Petram fundaretur Ecclesia, nullius confessio virtutis alterius ab eo, nisi charitatis exigitur.* S. Gregorius Nazienzenus de moderatione in disputando servanda ait: *Vides quemadmodum ex Christi Discipulis magnis utiq; omnibus & excelsis atq; electione dignis, hic Petra vocetur, atq; Ecclesia fundamenta sua fidei tradita habeat, ac reliqui Discipuli posthaberi se tranquillo animo ferant.* D. Chrylostom. Hom. 55. in Matth. *Ecclesie Pastor & Caput piscator homo ignobilis terrarum orbe reluctante Adamantis naturam firmitate superat.* Ex Latinis. Tertullianus de præscript. hæret. cap. 22. ita scribit: *Latuit aliqui Petrum ædificandæ Ecclesie Petram dictum, claves regni colorum consecutum?* D. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum cap. 14. *inter duodecim, ait, unus eligitur, ut constituto Capite schismatis tollatur occasio.* S. Ambros. in cap. ult. Lucæ *Petrum vocat Vicarium amoris Christi erga nos, & eum dicit omnibus prælatum.* S. Augustinus Serm. 124. de temp. eundem appellat *Caput & Verticem Ecclesie.* D. Leo Papa Serm. 3. in Anniversario Assumptionis suæ circa illa

verba Tu es Petrus sic loquitur : Et ego dico tibi, hoc est, sicut tibi meus Pater manifestavit divinitatem meam, ita & ego facio tibi notam excellentiam tuam, quia tu es Petrus, id est, cum ego sim immobilis Petra, ego lapis angularis, qui facio utraq; unum, ego fundamentum, præter quod nemo potest aliud ponere; tamen tu quoq; Petra es quia meâ virtute solidaris, ut quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia. Et ne longior sim adducendo singulos, in Concilio Chalcedonensi 630. Patres idiplum senserunt, ut habetur art. 3. his verbis : Ter beatissimus & omni laude dignissimus Beatus Petrus Apostolus, qui & Petra, & Crepido (summa extremitas) Catholica Ecclesia & recta Fidei fundamentum &c.

IX. Probatur denique doctrina nostra tertio Ratione. Christus relicto mundo in cælum abiens visibilem aliquem Vicarium reliquit commodæ gubernationi Ecclesiæ necessarium, ut patet ex illis, quæ supra de Monarchico Regimine diximus, & ex absurdissima sequela, quam ibidem indicavimus, scilicet non eandem nunc esse Ecclesiam, quæ Christo in terris vivente fuit; quia unitas politici Corporis maxime desumitur à ratione & modo politiæ ac gubernationis sive regiminis; quod prius ab uno Capite Christo fuisset Monarchicum nunc verò à pluribus esset Aristocraticum. Atqui Christus non reliquit alium, quàm Petrum; siquidem nec in Scriptura, nec in Patribus alterius Capituli pro Christo suffecti ullum sit indicium &c. Rectè igitur ex his omnibus concludimus cum S. Leone epist. 89. ad Episcopos Viennensis Provinciæ : Quisquis Petro Principatum existimat denegandum, illius quidem nullo modo potest diminueri dignitatem, sed inflatus Spiritu superbia sua seipsum in infernum demergit.

X. Doctrina Secunda. Petrus simpliciter, & absolute est Caput & Pastor non solum omnium Ecclesiarum particularium, sed etiam totius Ecclesiæ universalis simul congregatæ à Christo immediate constitutus, adeoq; est supra Concilium Generale. Sequitur hæc doctrina ex priore. Nam Caput est supra Corpus, Pastor supra oves, ut per se patet. Atqui Petrus est supremum Caput & fundamentum, super quod Christus universam suam Ecclesiam ædificavit : Idem est Pastor universalis ovium omnium in ovili, hoc est, Ecclesia Christi. Ergo &c. Minorem abunde hæcenus probavimus, & magis confirmabimus eam infra, ubi Papam supra Concilium Generale extollemus & Concilium Constantiense in contrarium asserti solitum explicabimus. Interim hoc solum obiter dixerim, tempore illius Concilij Ecclesiam horrendo schismate laborasse, ac neminem fuisse, qui illud non extinctum cuperet; cum autem ad illud tollendum non aliud remedium suppetere videretur præter Concilium Generale, atque ab isto cogendo illi, qui ex parte Pontificum stabant, vehementer abhorreant, fieri facile potuisse, ut pro Concilio Generali aliquid statueretur.

Quid autem absolute fuerit factum, suo loco dicemus.



PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

XI. Error primus. Petrus non fuit Caput Apostolorum & Ecclesiæ, aut cæteris Apostolis Superior. Ita Mart. Lutherus Lib. de Potestat. Papæ. Calvinus Lib. 4. Institut. c. 6. & cæteri Sæcularij, qui istud omnibus viribus evincere laborant, ut videre est apud Gerhardum lib. 2. part. 1. fol. 426. Molinæum lib. 2. c. 2. fol. 262. & Amefium Tom. 1. fol. 142. &c. Nituntur his argumentis. Primum. Christus solus est, & manet Caput & Fundamentum Ecclesiæ; neque fundamentum aliud poni potest, præter id, quod positum est, quod est Christus JESUS 1. Cor. 3. v. 11. Et per se absurdum est, duo esse fundamenta & Capita unius domus & Corporis. Secundum. S. Paulus 2. Cor. 12. v. 11. clarè ostendit, se non agnovisse Petrum, ut Superiorem; sic enim loquitur : Nihil minus fui ab his, qui sunt supra modum Apostoli : nec veritus est, illum reprehendere ad Gal. 2. v. 11. Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei resisti, quia reprehensibilis erat. Tertium. Nihil Petro fuit promissum aut commissum, quod non etiam cæteris Apostolis fuerit communicatum; accepit ille claves, fuit Petra, commissas habuit oves : de istis dicitur Matth. 18. v. 18. Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo, Ephes. 2. v. 20. quod sunt fundamenta Ecclesiæ, super quæ ædificati sumus. 1. Pet. 5. v. 2. pascite, qui in vobis est, gregem. Quartum. Christiani primi non agnoverunt Primatum Petri; alioquin omnes voluissent esse discipuli Petri, cujus oppositum constat ex 1. Cor. 1. v. 12. ubi ambitiosè describitur inter Corinthios contentio, à quoniam baptizati aut conversi essent : Unusquisque vestrum dicit, ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cepha &c. Quintum. Actor. 8. v. 14. legimus, Petrum cum Joanne à cæteris Apostolis missum esse in Samariam prædicatum. Non fuit igitur istis superior, sed potius inferior, siquidem missio est superioris potestatis. Sextum. Petrus præcipua Ecclesiæ negotia solus non perfecit absque aliorum Apostolorum auxilio, ut patet in electione Matthiæ Act. 1. Septem Diaconorum ibid. cap. 6. & in decisione Controversiæ de Relig. itidem Act. 15. quod signum est, supremam potestatem penes illum non fuisse. Septimum. Petrus post promissionem illam à Christo factam Matth. 16. v. 18. gravissimè est lapsus tum nolendo in Christo passionem, unde mox Satanas appellatur ver. 23. tum negando Christum in ipsa passione Matth. 26. v. 70. Quomodo igitur cogitari potest, hunc esse Petram illam, super quam ædificata sit Ecclesia.

XII. Hisce argumentis ex Sac. Script. depromptis addunt Patres, qui omnes Apostolos asserunt æquales, nominatim Clemens Papa in Epist. ad San. Jacobum fratrem Domini & Episcopum Hierosolymitanum. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum : Super Apostolos, inquit, ex æquo solidatur Ecclesiæ fortitudo. Ambrosius Serm. 66. incertum est, ait, quis ex istis duobus (Petro & Paulo) sit præferendus; puto enim, eos esse pariter magni faciendos, cum in passione sint pares. Cyprianus Lib. de Unit. Eccles. sic scribens : Hoc erant utique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus.

Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis
Et Greg. Pap. Lib. 6. Epist. 37. ait, Petrum tres
Sedes habuisse, nempe *Roma, Antiochia, & Alexan-*
dræ, quæ tamen sint Una. Similiter scribit ad E-
piscopum Alexandriacum, *Ambos se uno modo super*
Sedem S. Petri sedere, comparandoque Episcopos A-
lexandriæ & Antiochiæ Episcopo Romano dicit,
unius illos esse successionis.

XIII. Errori huic adversatur tota vetus Eccle-
sia, ut patet tum ex dictis, tum ex hisce verbis
D. Augustini Lib. 2. cap. 1. de Bapt. cont. Donatist.
Quis nescit, illum Apostolatus Petri Principatum cuiuslibet
Episcopatus præferendum esse? quæ verba sunt mi-
rantis, reperiri posse aliquem, qui id in du-
bium quasi nesciens vocet. Id verò moderatæ Se-
ctæ non solum nesciunt, sed absolute negant;
quod merito & mirum & indignum videtur S. Au-
gustino. Eidem errori repugnat etiam actuale
exercitium Pontificiæ Potestatis, quam D. Petrus
exercuit. Nam Concilia Universalia indicere, &
illis præsidere, sunt actus Pontificiæ Potestatis, ut
ostenditur, dum de Concilijs agitur. Sed hos ac-
tus Petrus exercuit, nomine Apostolorum con-
tradiciente, ut patet ex Actis Apostolorum cap. 1.
4. & 15. Unde communiter Auctores triplicem
in Petro advertunt præminentiam. 1. quia nul-
lus Apostolorum aliorum in suos Collegas quid-
quam jurisdictionis habuit, præter Petrum. 2.
quia Apostoli alij tantum disjunctivè habuerunt
potestatem in totum mundum, hoc est, in hanc
vel illam partem mundi, in qua versabantur: Pe-
trus autem simul in totum mundum, omnesque
hujus partes habuit potestatem, etiamsi nunquam
ibi fuisset. 3. quia potestas aliorum Apostolorum
fuit extraordinaria, & una cum illis expiravit,
nec in Successores transiit: Petri autem jurisdic-
tio fuit ordinaria & perpetua, atque in Successo-
res transfusa, ut mox dicemus; sicuti in Veteri
Testamento Sacerdotium Moysis fuit tantum tem-
porale & personale unà cum ipso extinctum; Aa-
tonis verò potestas continuâ successione in Poste-
ros fuit translata. Ex his alijsque priore parte
allatis facile rejicitur hæreticorum er-
ror, eorumque argumenta dissolvuntur; pro ma-
jore tamen falsitatis manifestatione.

XIV. Respon. ad 1. Christum solum esse præ-
cipuum undiquaque ac primum Fundamentum,
& supremum Caput, præter quod nullum aliud
ejusdem ordinis & dignitatis constitui à quoquam
potest; post Christum autem & sub Christo aliud
agnosci fundamentum, & aliud Caput Visibile
Ecclesiæ, nihil prohibet; cum ipsemet Adversarij
ultra fateantur, cæteros quoque omnes Apostolos
esse quædam Ecclesiæ fundamenta, ut aperte pa-
tet ad Ephes. 2. v. 20. & Apocal. 21. v. 14. Neque
inde magis monstrum evadit Ecclesiæ Corpus,
quod plura capita metaphoricè dicta ac inter se
subordinata habeat, quam quod unius ac ejus-
dem regni secularis duo quædam præcipua so-
lent esse Capita, nimirum Rex & in hujus ab-
sentia Prorex, ac sub his alia inferiora longè plu-
ta, ut jam supra diximus.

XV. Ad 2. D. Paulum tantum in munere A-
postolico, in quo omnes erant æquales, se aliqua-
tenus cæteris præposuisse, quia latius fidem pro-
pagavit, quam ullus alius, & plures labores su-
stinuit, ut ipsemet gloriatur 2. Cor. 11. v. 23. Un-
de eidem Gal. 2. v. 9. dexteras dederunt Petrus Ja-

cobus & Joannes, & hoc Symbolo in Apostola-
tu Collegam præsignem agnoverunt, atque ut
talem receperunt. Corruptio Petri à Paulo facta
non est argumentum superioritatis; quia natu-
rali jure charitatis etiam par parem, imò inferior
superiorem peccantem potest ac debet corrigere,
ut docetur in materia charitatis, maxime bono
publico id exigente, cujus exemplum habemus 2.
Reg. c. 19. ubi Joab Dux belli Davidè Regem suum
ob cædem Absolonis Filij sui nimis contristan-
tem acriter reprehendit. Quæ autem causa fuerit
hujus reprehensionis, videri potest apud Card.
Cæs. Baronium in Annalib. Ecclesiæ. Anno Chri-
sti 51. Breviter ita se habet. Cum Petrus Aposto-
lus Antiochiam veniret; christianâ libertate cum
Gentibus cepit manducare etiam prohibitos Ju-
dæis cibos, probè gnarus, legem Judaicam esse
antiquatam. Supervenientibus autem Judæis à
D. Jacobo ad Petrum missis anceps hæsit, perge-
retne cum Gentibus manducare, ne his abstinendo
cogitationem ingereret de vigore legis Judai-
cæ: an abstineret se, ne manducando carnem
suillam scandalizaret Judæos? In hac animi flu-
tuatione placuit abstinendo simulare observati-
onem legis Mosaicæ; quod advertens Paulus
prius jam Antiochiæ existens graviter sensit, &
publicè resistendo Petrum hujus reprehendit, rei
christianæ interesse ratus, ne abolitio legis Mo-
saiçæ amplius absconderetur. Nunc quæstio est,
rectène fecerit Petrus simulando? Affirmant Pa-
tres Græci, quibus adstipulantur Hieronymus,
& Cardinal. Baronius. Negant Patres Latini,
quibus consentiunt D. Augustinus, & plerique In-
terpretes S. Scripturæ. Hoc autem apud omnes
certum, Petri peccatum aut veniale ac levissimum,
aut etiam solum materiale fuisse, id est, erratum
absque culpa, cum ex optimo animo fuerit or-
tum. Cæterum quanti Paulus fecerit Petrum, vel
hinc liquet, quod statim post suam conversionem
ejus visendi gratiâ Damasco Jerosolymam profe-
ctus sit, ut ipse testatur Gal. 1. v. 18. *Post annos tres*
veni Jerosolymam, videre Petrum, & mansi apud eum
diebus quindecim.

XVI. Ad 3. Illa ipsa, quæ Adversarij in cæ-
teris Apostolis agnoscunt, singularia esse Petri.
Nam Apostoli sunt quidem fundamenta, sed, ut
supra jam diximus, tertiaria supra Petrum, & Ul-
timate supra Christum extructa: at verò *Petram*
esse, ac post Christum præcipuum totius Ecclesiæ fundamen-
tum, soli Petro attribuitur. Soli etiam Petro no-
minatim Matth. 16. v. 19. *claves traditæ sunt tan-*
quam supremo Patrifamilias & Ecclesiæ Gubernatori
: cæteris autem usus potius traditus est,
quàm absoluta potestas ac possessio earundem;
nulla etiam illis potestas fuit concessa in se mu-
tuo, multò minus in Petrum, cum tamen iste in
reliquos Apostolos potestatem accepit, utpote
totius Ecclesiæ Pastor & Princeps. Soli denique
Petro omnes Christi oves universim, ac sine ulla
exceptione commissæ sunt: ad cæteros verò A-
postolos cum restrictione missæ fuerunt, & qui-
*dem ab ipso Petro: *Pascite, qui in vobis est, gregem**
hoc est, gregem vobis commissum. 1. Pet. 5. v. 2.

XVII. Ad 4. Si ex illa Corinthiorum contem-
tione probaretur, illos Petri Primatum non ag-
novisse, tunc pari modo probaretur, eosdem etiam
Christum pro supremo Capite non agnovisse,
cum etiam de Christo contenderint, dicentes, Ego

sum Christi, ut habetur loc. cit. Itaque contentio non fuit nata ex opinione Primatus, sed ex alijs ineptis causis, quas Paulus ibi reprehendit.

XVIII. Ad 5. Missionem non esse sufficiens argumentum Superioritatis, cum legamus Josue 22. v. 13. Phinees Sacerdotem, & duodecim Principes Tribuum à populo missos in terram Galaad. Et Actor. 15. v. 2. Paulum ab Antiochenis Jerosolymam missum. Imò Filius DEI à Patre suo æterno in terram est missus: & Spiritus Sanctus ab utroque, cum tamen inter divinas. Personas nulla sit Superior, sed omnes æquales. Distinguenda igitur duplex missio inter homines; una per modum imperij: altera per modum rogationis, & sic dicimus, Petrum ab alijs Apostolis missum fuisse, non imperativè, sed deprecativè. Cæterum Adversarij hoc argumento sibi met contradicunt, cum ante dixerint, omnes Apostolos fuisse pares, & jam conentur probare, Petrum illis subditum fuisse, utpote ab illis aliò missum.

XIX. Ad 6. negando, hoc signum esse, supremam potestatem non fuisse penes Petrum; quia id non fiebat ex defectu potestatis, sed ut res sic suavius & efficacius transigeretur. Nam ad communem Ecclesiæ pacem & auctoritatem Apostolorum conservandam, majorémque ipsis rebus æstimationem apud plebem conciliandam convenientius plurium suffragijs & judicijs ejusmodi communia Ecclesiæ negotia fuerunt transacta, quantumvis aliàs à solo Petro transigi potuissent; quemadmodum nunc etiam majoris momenti causæ non à solo Papa, sed in Concilij Generalibus peragi solent.

XX. Ad 7. Utrumque Petri lapsum ante contigisse, quàm promissiones de summa potestate concedenda factæ implerentur, & reipsa Vicarius Christi ei committeretur; quod non obscure innuitur illis Christi verbis Luc. 22. v. 32. *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Quare neuter lapsus Ecclesiæ firmitati obstat, cum præsertim Petrus infidelitatis inde convinci nequeat; prior enim solum habitudinis defectum arguit: posterior verò in externa tantum fidei confessione consistit. Taceo particularis personæ lapsum nihil officere publicæ potestatis infallibilitati, juxta illud Matth. 23. v. 3. *Quæcumque dixerim vobis, servate & facite, secundum opera verò eorum nolite facere.*

XXI. Quoad Patres. Audent impudenter effutire Calvinistæ cum Magistro suo Calvino lib. 4. Instir. cap. 6. sect. 6. Patrum expositioni reclamare totam Scripturam, & sic eorum auctoritatem adversus DELIM prætendi. Sed quæ est illa Scriptura, quæ reclamatur Patribus? quidquid afferunt ex Sac. Scripturis, luculenter solvimus, ut nihil ex illis nisi calumnia Sectariorum contra nos appareat. Patres etiam in oppositum adducti doctrinæ nostræ nihil adversantur, sed ex eorum allegatione elucet malicia & ignorantia Adversariorum. Nam manifestum est apud omnes, & sapius à Pontificijs Scripioribus ostensum, eosdem Patres, quos Sectarj hic contra nos adducunt, in alijs locis absolute & aperte D. Petro Primatum adscribere, ut nominatim videre est apud Card. Bellarminum de Rom. Pontifice Lib. 2. toto. Franciscum Suarez in defens. Fidei contra Regem Angliæ. Adamum Tanner in Dioptra. Fidei Lib. 3. cap. 4. & in Anatomia Confessionis Augustinæ Part. 2. Demonstr. 5. §. 2. 8. 9. 10. Becanum Lib. 2. de Republ. Ecclesiast. Kellerum

in Papat. Cathol. Tom. 1. à cap. 1. Forerum in Papatu Antiquo Lib. 2. cap. 3. Sanderum de Monarchia Ecclesiæ Romanæ. Cardinalem Baronium in Hist. Eccles. & omnis alijs apud Jacobum Gualterium in Tabulis chronographicis per singula ab exordio Ecclesiæ sæcula.

XXII. Clementis Papæ epistolam ad S. Jacobum Apostolum allegant nonnulli Prædicantes. Si aliquis Catholicorum citasset, meritò effusissime riderent Sectarj. In illa enim Epistola significatur Jacobo Apostolo mors S. Petri Romæ obita; cum tamen constet omnibus historiæ gnaris, multò ante S. Petri obitum vitam martyrio finivisse S. Jacobum Solymis. Scripta est itaque ad mortuum epistola illa, utique in cælum. Apocrypha ego epistola est, quam citant, quod viri docti ignorare non debebant, multò minus dispendio famæ suæ inde argumentum sumere, cum facile id ex Bellarmino de Script. Eccles. V. Clementis Rom. scire potuissent. Gerhardus Lib. 2. part. 1. fol. 428. affirmat quoque, à Clemente Papa Jacobum Apostolum vocari Episcopum Episcoporum; & citat Tomum 1. Concilior. pag. 14. ac Eusebium Lib. 2. Hist. cap. 1. sed nihil profusus in his reperi; Sine dubio igitur eadem Apocryphæ epistolæ ad declinandum pudorem usus fuit, & sic fraudem fraudi nexuit.

XXIII. D. Hieronymus habet allata verba, sed per modum duntaxat objectionis. Ita loquitur S. Pater: *Sed dices: Super Petrum fundatur Ecclesia, licet id ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & ex aquo super eos Ecclesia fortitudo solidetur.* Et mox respondens: *licet, inquit, super omnes Apostolos ex aquo Ecclesia fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur ut capite constituto schismatis tolleretur occasio.* Ubi apertissimis verbis sanctum Petrum Caput Ecclesiæ facit & appellat, qui ex omnibus reliquis unus & solus electus sit à Christo, ut Caput esset cæterorum, quo omnis occasio schismatis tolleretur, si plura scilicet Capita æqualem jurisdictionem habentia Ecclesiam gubernarent.

XXIV. Ambrosij verba mutilè refert Molinæus, ita se habent: *puto enim eos esse æquales meritis, qui æquales sunt passione.* ubi S. Pater non loquitur de jurisdictione, sed de magnis meritis & laboribus Pauli. Quod verò Idem de incarnat. cap. 4. Petro tribuat Primatum Fidei & confessionis: non ordinis, non est contra nos; quia tunc temporis nondum accepit primatum Ordinis, sed postea primum, de quo posteriore tempore non loquitur Ambrosius. Videri potest Forerus loc. cit. fol. 35.

XXV. Cyprianus plus dicere non vult, quàm quod omnes Apostoli fuerint pares in officio Apostolatûs, nempe ubique prædicandi & peccata dimittendi; interim Petrus ratione Pontificatus habet triplicem illam præeminentiam, quam supra §. XIII. attulimus, & aperte Cyprianus concedit, dum citato loco immediate hæc verba adjicit: *Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstretur;* unde istum Patrem supra pro nobis adduximus, cum nihil clarius pro Primatu Petri ab ullo Sanctorum dici potuerit, quod advertentes Adversarij priorem solum partem posuerunt, posteriorem reticuerunt, scilicet illud Poëtæ sibi usurpantes: *dolus, an virtus, quis in hoste requirat?*

XXVI. Gregorius loquitur de unitate Ordinis & respectûs ad unum Fundatorem D. Petrum: non verò de unitate identitatis, hoc est, paris dignitatis.

gnitatis & potestatis. Nam S. Petrus Ecclesiam Antiochenam post septennem possessionem resignavit Evodio: Alexandriacam per D. Marcum duntaxat Vicarium suum administravit: Romanam demum usque ad mortem ipsemet gubernavit, & martyrio ac sanguine suo eandem Sedem stabilivit, atque Apostolicam & supremam suam Potestatem ibidem confirmavit. Hanc suam mentem & sententiam D. Gregorius manifeste prodit epist. 37. cit. tum quia Romanam Sedem cæteris præponit. tum quia de illa scribit: *ipse Petrus enim sublimavit Sedem (Romanam) in qua quiescere, & vitam præsentem finire dignatus est; per sublimationem autem nihil aliud, quam præeminentiam hujus Sedis super alias indicatur; in quem sensum haud dubie ipse Gregorius M. lib. 4. epist. 32. ad Mauritium Augustum scripsit, ipsi Petro curam totius Ecclesie & Principatum fuisse commissum.*

XXVII. Error secundus. D. Paulus est omnino par, ac in nullo inferior D. Petro etiam quoad universæ Ecclesie gubernationem. Ita recens duo Anonymi, qui, ut videre est in Bulla Innocentij X. Papæ 24. Januarij an. 1647. edita, libellis partim gallicè partim latinè conscriptis & vulgatis D. Paulum ejusdem cum S. Petro potestatis, auctoritatis, ac jurisdictionis fingunt, & Ecclesiam post Christi in Cælos ascensum duplex tunc temporis visibile in terris caput affingunt. Nituntur maxime. Tum autoritate Patrum Jrenæi, qui lib. 3. advers. hæres. cap. 3. antiquissime, inquit, & omnibus cognita & gloriosissima duobus Apostolis Petro & Paulo Roma fundata & constituta Ecclesia. Et Epiphaniij hæresi 27. agentis: *Episcoporum in Roma successio hanc consequentiam habuit: Petrus & Paulus, Linus, Clemens, &c.* Tum ratione. Petrus & Paulus sunt summi Apostoli, ac sunt inter se pares; certè ignoratur, uter alteri præset. Ergo non potest dici, quod Petrus potestate major sit; etenim potestatis ratione superioris solum vel præcipue æstimatur. Confirmant hanc rationem ex illo ad Gal. 2. v. 7. *credidit mihi Evangelium præputij, sicut & Petrus circumcissionis; Ubi innuitur divisio jurisdictionis inter Petrum & Paulum, ita ut illi cura Judæorum, huic Gentilium esset commissa; unde Act. 10. dubitat Petrus, num Gentilibus prædicet, & ob factam istis prædicationem reprehenditur à Discipulis Act. 11. v. 3.*

XXVIII. Error iste nullo Sac. Scripturæ fulcitur testimonio, nullà Patrum assertionem defenditur, nullo rationum pondere stabilitur. Et est non solum contra communem Catholicorum sententiam, sed contra ipsorum etiam hæreticorum sensum, qui nec Petrum volunt fuisse supremum Caput constitutum. Ubi enim Sac. Scriptura dicit Paulo: *Tu es Petrus, & super hanc Petram &c. Pasce oves meas,* quorum illud Petro dicitur Matth. 16. istud Joan. ultimo. Cyrillus Alexand. lib. Theauri dicit: *Petro omnes jure divino Caput inclinant, & Primates Mundi tanquam ipsi Domino Jesu obediunt.* Ecce tò omnes haud dubie includit & Paulum, cujus è contrario nulla sit mentio, ut dicatur torus mundus illi Caput inclinare. Consentiant omnes alij Patres, qui Primatum Romanæ Ecclesie super omnes Ecclesias agnoscunt semper illum fundant in verbis Christi ad Petrum, & nunquam ne quidem semel in ulla Pauli jurisdictione constituunt. Et certè perinde olim non dequit, ac jam non dequit, Ecclesiam in terris esse turpiter bicipi-

tem, & duo suprema ac visibilia gerere capita, quæ inter se subordinata non sunt, uti bene pluribus ostendit Rodericus Arriaga Tom. 5. Theologiae suæ Disp. 8. à num. 47. ubi prædictum errorem acriter & solide oppugnat.

XXIX. Respon. 1. ad auctoritatem Patrum. Quando SS. Patres Petro adjungunt Paulum, per hoc minime significare volunt, quasi iste par illi foret, & ambo par potestatis & jurisdictionis atque auctoritatis essent, sed fit hoc 1. quia ambo fundarunt Romanam Ecclesiam. 2. quia ambo ex primis Cælestis curiæ Principibus Deo maxime grati, & potentes apud eum sunt meritis & intercessione suâ pro nobis & universa Ecclesia. 3. quia summè sunt affecti & proni in bonum Ecclesie Romanæ, quam fundarunt, suâ doctrinâ illustrarunt, & sanguine & morte suâ irrigarunt ac roborarunt. 4. quia Rom. Pontifices amborum Apostolorum sunt Successores in Ecclesia ab ipsis fundata, & doctrina illuminata. Hæc autem & similia intelligi debent pro subjecta materia, scil. quod Petrus fundaverit Ecclesiam Romanam tanquam Christi Vicarius, super quem Christus Ecclesiam suam ædificavit, & potestatem concessit, hanc gubernandi Matth. 16. & oves suas pascendi Joan. 21. *Hic est, qui audit, pasce agnos meos, cui creditum est Oyde,* ait Epiphanius in Ancorato, ad quod utique spectat, ovile bene ordinare, pastorem nominare, suam huic habitationem assignare. Sic Petrus Ecclesiam Romæ fundavit; Paulus autem idem præstitit per prædicationem suam, uti ipse innuit 1. Cor. 3. v. 10. scribens: *secundum gratiam DEI, quæ data est mihi, ut sapiens Architectus fundamentum posui.* Idem Ecclesiam Romanam sanguine, ac martyrio suo fundavit, roboravit & ornavit; cum non tantum per amborum Apostolorum doctrinam, sed etiam gloriosam mortem, exemplum, & meritum innumeri Gentiles absque dubio Christianæ Fidei se adjunxerint. Nihilominus D. Petrus Romanam Ecclesiam peculiari modo fundavit, ut patet ex eo, quod Cathedra & Sedes Episcopalis Romana nunquam S. Paulo, sed soli Petro attribuitur: & nunquam Paulus sed Petrus solus peculiariter Romanus Pontifex semper nominetur, cum tamen Cathedra Romana, si ambo SS. Apostoli pari ratione Ecclesiam illam fundassent, merito æquè Cathedra Pauli, ac Petri: & Paulus æquè ac Petrus Romanus Pontifex peculiariter dici deberet.

XXX. Quando igitur isti duo SS. Apostoli Petrus & Paulus vocantur ab Irenæo & Epiphaniio atque alijs Patribus *Fundatores & Episcopi Romana Ecclesia,* intelligendum id de Petro tanquam de proprio Episcopo, idque vi sui Primatus supra probati: de Paulo verò tanquam de Coadjutore Petri aut Vicario, ac dependente ab illo; perinde fere ut hodie etiam Episcopi ob amplissimas Dioceses & negotiorum molem suos habent Coadjutores & Vicarios, qui, si in Pontificalibus sint Vicarij, consecrati Episcopi esse debent, etsi tales Vicarij præter Ordinarium Episcopum non solent inter Episcopos unius Ecclesie numerari. Itaque D. Petrus solus fuit Romæ Ordinarius & proprius Episcopus, qui præter curam omnium aliarum diocesum & universæ Christianitatis Episcopatum Romanum, tanquam peculiarem suam Diocesim ac Sortem gubernavit; sicuti Archiepiscopus, præter curam super dioceses suo-

rum Suffraganeorum, peculiariter suam Archidiaeceseos & proprium Episcopatum habet procurandum.

XXXI. Respon. 2. ad rationem. Negando consequentiam. Nam, etsi extra controversiam sit apud Catholicos, Petrum potestate, Paulum sapientiâ & rerum pro Christo & Ecclesia gestarum gloriâ excellere, adhuc tamen potest ignorari, uter illorum absolute in iudicio DEI præstet, majorique ac sublimiori gloriâ substantiali in Beatitudine fulgeat. In cultu autem Sanctorum Ecclesia non attendit præminentiam superioritatis præcisè, imò neque gratiæ & gloriæ præcellentiam, sed utilitatis, quam attulerunt posteris. Unde forsân factum, quod Imago Pauli plus omnibus pro Ecclesia laborantis in antiquis sigillis, quibus diplomata Pontificum signantur, reperitur à dextris: Imago verò Petri à Sinistris. Etsi alij æquè probabiliter velint, id ideo factum, quod olim ex duobus incedentibus Senior & honoratior ad lavam esset: junior autem latus ei dextrum clauderet in signum obsequij, de quo videri possunt Arriaga loc. cit. n. 31. & Bellarm. lib. 1. de Pontif. cap. 27.

XXXII. Respon. 3. ad confirmationem. Divisio ista non est jurisdictionis, sed provinciarum ad commodiorem Evangelij prædicationem, & ut Petrus præcipuè in Judæorum, Paulus in Gentilium conversionem incumberet; manente interim penes utrumque jure tam his, quam illis prædicandi. Ad id, quod ex Actor. 10. adjicitur, dicimus, Petrum non habuisse ignorantiam illam, sed revelationem de linteo eidem factam fuisse, tum ut aperit sciret, jam adesse tempus prædicandi Gentibus Evangelium, tum ut alijs facilius & efficacius responderet, si quando aliqui ex Judaismo conversi illum reprehensuri idcirco essent, cujus reprehensionis authorem fuisse Cherinthum, antequam in apertam hæresin erumperet, notavit Epiphanius hæresi 28.

XXXIII. Error tertius. Jacobum fuisse supra Petrum, & non huic, sed illi Principatum esse commissum. Ita Hailbrunner lib. cit. pag. 269. & alij Prædicantes moderni in suis libris. Probant tum ex Actis Apostol. 15. ubi non Petrus, sed Jacobus præsedet, & sententiam decisivam tulit. tum ex D. Chrysof. qui hom. 33. de S. Jacobo Apostolo scribit: *Huic enim Principatus erat commissus*. Error iste planè peculiaris est, ipsique contrarius Sectarijs; si enim omnes Apostoli fuerunt pares, ut illi pro aris & focis contendunt, quomodo Jacobus fuit supra Petrum & cæteros? S. Petrus in Concilio Hierosolymitano præsedisse, colligitur ex eo, quod primus sententiam tulerit, cui omnes acquieverunt, ut attestatur S. Hieronymus in epist. ad Augustin. 11. ubi recitatis verbis Petri ex cap. 15. cit. à v. 7. subjungit: *Tacuit autem omnis multitudo, & in sententiam ejus Jacobus Apostolus & omnes simul presbyteri transierunt*; quamvis aliqualis directio etiam Jacobo relicta fuerit, ut mox dicemus. Si igitur Petrus non fuit Caput, cur primus loquitur in illo loco, ubi alius nempe Jacobus fuit Episcopus? & ubi alij Seniores illo fuerunt præsentibus? Signum hoc esse altioris potestatis, indicat Chrysofom. hom. 3. in Acta sic scribens: *Quam est fervidus, quam agnoscat creditum sibi à Christo gregem! quam in hoc choro Princeps est!* Unde jam apparet vanitas argumentorum in oppositum.

XXXIV. Respon. ad 1. probationem negan-

do, Jacobum præsedisse in Concilio Hierosolymitano, licet habuerit suffragium decisivum; etenim tale omnes Apostoli habuerunt, quemadmodum omnes etiam Episcopi in Concilijs habent & usurpant absquè ullo Papalis Primatus præjudicio. Itaque neque Petrus, Paulus, Barnabas, neque Jacobus solus sed simul omnes Apostoli & Discipuli sua vota decisiva dederunt, sub quorum omnium nomine decretum est factum v. 23. *Apostoli & Seniores Fratres his, qui sunt Antiochia &c.* nullâ Petri peculiari factâ mentione, quia prædictum decretum nomine totius Concilij fuit editum.

XXXV. Ad 2. itidem negando, Chrysofomum superiorem potestatem Jacobo, quam Petro attribuisse; quamvis enim scribat, Jacobo Principatum fuisse commissum, per hoc tamen nihil intelligit aliud, quam à Petro aliquam directionem hujus Concilij fuisse oblatam Jacobo, qui etiam juxta sententiam S. Chrysofomi Episcopus Hierosolymitanus fuit à Petro creatus. *Quod si quis percontaretur*, inquit S. Pater homil. ult. in Joan. *quomodo Jacobus Sedem Hierosolymis acceperit? respondeo hunc Petrum totius orbis Magistrum constituisse. Quate nihil primatus Petri per Jacobum fuit demptum; sed Petrus, postquam per primum votum, cui nemo se opponebat, factis supremam suam auctoritatem ostendit, deinde Jacobo veluti Episcopo Hierosolymitano ultimam conclusionem, imò & decisionem reliquit. Talem & quidem ab ipso Petro non minus, quam Episcopatum Hierosolymitanum Jacobo commissum Principatum intelligit Chrysofomus, sicut mox in sequentibus verbis indicat: Nihil Joannes hic, nihil alij Apostoli loquuntur, sed silent, & non indignantur, adeo pura à vana gloria erat illorum anima.* Ex quibus apparet, Petrum honoris & amoris ergâ Jacobo tanquam Episcopo Hierosolymitano aliqualem Concilij directionem reliquisse.

CONTROVERSI A XXV.

UTRUM D. PETRO ALIQUIS
in Pontificatu successerit, & succedere
continûe debuerit?

Constitutis ijs, quæ ad D. Petri Primatum asserendum spectant, ad ea procedimus, quæ ad Successores in eodem Primatu pertinent. Et licet hoc ex dictis & communi fere omnium sensu perspicuum sit, suas tamen hæretici huic luci obtendunt tenebras, quas dissipare oportet.

PARS PRIOR

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. **D**octrina prima. D. Petro aliquis successit, & continûe succedere debuit. Definiri hæc doctrina in Concilio Constantiensi Sess. 15. & tradita fuit à Patribus, quos fusè adducunt alij, nobis sufficiant isti. D. Chrysofomus lib. 2. de Sacerdot. circa

circa princip. alludens ad illa verba Christi ad Petrum, *pasce oves meas: quoniam, inquit, de causa ille sanguinem effudit suum? certe ut pecudes eas acquireret, quarum curam tum Petro, tum Successoribus committeret.* S. Leo serm. 2. de Anniversario Assumptionis suae ad Pontificatum sic ait: *manet dispositio veritatis, & D. Petrus in accepta fortitudine Petri perseverans suscepta Ecclesia gubernacula non reliquit; perseverat scil. Petrus, & vivit in successoribus suis.* Et Philippus Presbyter in Concilio Ephesino Tom. 2. c. 16. ita loquitur: *Nulli dubium, imò saeculis omnibus notum est, S. Petrum Apostolorum Principem & Caput, Ecclesia Catholica Fundamentum per Successores suos hucusq; semper vivere, semperq; victurum esse. Hujus igitur Ordinis Successor Papa Coelestinus nos ad hanc Synodum misit. Simili modo scribens S. Chrysostomus in epist. quae Concilio Chalcedonensi praepositur, hortatur Eutychetem haereticum ad obedientiam Leoni Papae in materia fidei potissimum praestandam: Hortamur, inquit, te ut ijs, quae à Beatissimo Papa Romanae civitatis scripta sunt, obedienter attendas. Quoniam B. Petrus, qui in prima sede vivit, & praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem. Eadem doctrina suadet hoc fundamentali discursu. Si potestas Pontificia S. Petro collata debet esse perpetua, tunc S. Petrus debet habere continuos Successores. Atqui verum est Antecedens. Ergo & consequens. Sequela Majoris per se liquet; siquidem Petrus jam pridem mortuus non potest illo munere fungi. Ergo debet habere Successores, sicut in simili de Leviticis Sacerdotibus ait Paulus Hebr. 7. v. 23. *Plures facti sunt Sacerdotes, ideo quod morte prohiberentur permanere.* Probatur Min. Quamdiu manet necessitas, ob quam Christus Ecclesiam suam diligit, ut sponsam, nequidquam ei necessarium patitur deesse iuxta illud *Jsaiae 5. v. 4. quid ultra debui facere vineae meae, & non feci.* Atqui illa necessitas semper durat, quia necessitas, ob quam Christus instituit Pontificatum, fuit conservanda fidei unitas, quae semper manet, imò indies augetur, cum semper plures & peiores haeretici exurgant. Ergo & potestas semper duret.*

II. Confirmatur 1. Quamdiu durat Ecclesia, tamdiu durare debet ejus fundamentum. Sed Ecclesia perpetuo durat juxta illud *Danielis 2. v. 44. suscitabit DEUS caeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur, & ipsum stabit in aeternum.* Ubi loquitur Propheta de regno Christi, quod est Ecclesia, ut patet ex antecedentibus. Ergo & fundamentum hujus scil. Petrus semper durare debet, non quidem in propria Persona, quae fuit mortalis, sed in Successoribus. Confirmatur 2. Ex figura Veteris Testamenti. Nam in Synagoga semper ac perpetua successione unus aliquis erat summus Pontifex, qui summam potestate in Spiritualibus praesisset, eamq; gubernaret. Ergo multo magis tribuendum Ecclesiae.

III. Caeterum Romani Pontifices Petro succedentes non sunt Successores Christi, sed tantum Vicarii, sicut & Petrus fuit. Nam qui successorem habet, officium deserit, & in alterum transfert, Christus autem non deposuit curam Ecclesiae, sed semper illam gubernat partim per seipsum immediate, partim per suos Vicarios. Unde D. Augustinus tract. 50. in Joannem prope finem: *secundum praesentiam, inquit, Majestatis semper habemus Christum: secundum praesentiam vero carnis recte dictum est Discipulis: me autem non semper habebitis; habuit enim illum Ecclesia secundum praesentiam carnis pau-*

cis diebus: modo fide tenet, oculis non videt. Petrus quoque duplicem habuit potestatem sibi à Christo concessam; unam Apostolicam cum caeteris Apostolis communem: alteram propriam, jurisdictionem scil. Pontificalem. In priori nemo illi successit, quantumvis adhuc Pontifices dicantur Apostolici propter similitudinem cum Apostolis in universitate jurisdictionis supra universum mundum. De posteriori locuti sumus; pro qua expressius declaranda sit.

IV. Doctrina Secunda. D. Petro in Pontificatu & universalis Ecclesiae potestate ac jurisdictione semper etiam aliquis successit, & quidem ex instituto Christi & jure divino; quidquid sit de ratione successionis, num ad istum potius, quam illum spectet, de quo in controver. sequenti. Probatur 1. ex S. Script. non quidem per textum expressum sed evidentem illationem. Nam cum Christus ipse instituerit in Petro Pontificatum duraturum usque ad finem mundi, ut fieri oportuisse recens in priore doctrina ostendimus, hoc ipso voluit successionem in eodem Pontificatu fieri, & potestatem Pontificiam concedere legitimo Successori, quisquis ille fuerit. Ad haec non tantum credenda sunt, quae expressè habentur in Scriptura, sed etiam, quae luculenter inde deducuntur: aut ex Traditione in Ecclesia custodiuntur, sicut evidenter ex verbis Christi, *Tu es Petrus, id est, solidus in fide: & super hanc Petram &c.* Item illa: *confirmate fratres tuos.* Et: *pasce oves meas* colligitur successio in Pontificatu Petri, eademq; ex Traditione in Ecclesia custoditur. Unde

V. Probatur 2. ex Patribus. Nam omnes, quotquot nobis seriem & successionem Romanorum Pontificum scripto reliquerunt, primo loco S. Petrum ponunt. Sunt autem isti, Irenaeus adversus haereses cap. 3. Tertullianus adversus Marcionem Lib. 3. cap. 9. Cyprianus epist. 55. ad Cornelium Papam. Optatus Milevitanus lib. 2. contra Parmenianum. Ambrosius Serm. 11. qui est de mirabilibus. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, Item epist. 57. ad Damasum. Augustinus, qui cap. 4. tractatus illius, quem scripsit contra Epistolam Fundamenti Manichaei inter vincula Sacra, quibus in gremio Ecclesiae Catholicae tenebatur, commemorat etiam continuum successionem Sacerdotum summorum: *Tenet me, inquit, in Ecclesia Catholica gremio ab ipsa Sede Apostoli, cui pascebas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit usq; ad praesentem Episcopum successio Sacerdotum.* Et tursus epist. 165. ad Generosum sic scribit: *Si ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quanto certius & verè salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiae figuram gerenti Dominus ait, supra hanc Petram edificabo Ecclesiam meam; Petro enim successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacleus, Anacleto Evaristus &c.* Videantur DD. à Walsenburch Tom. 2. fol. 631. ubi hanc D. Augustini Auctoritatem urgent contra Crocium. Plures alios Patres eorumque verba expressè adducunt Card. Bellarminus Lib. 2. de Rom. Pontif. à cap. 12. Jodocus Coccinus in suo Thesauro Lib. 7. art. 5. & alij. Ego ex ipsorum testimonijs in rem praesentem sic argumentor: Si verum est, quod allegati Patres de S. Petro attestantur, sequitur luculenter, Petrum Ecclesiae universae summum Pontificem fuisse, in eodemq; Pontificatu Successores habuisse. Sed extra omnem controversiam est, quod praedicti Patres affirmant. Ergo &c.

VI. Pro-

gha
ber
ologia
emica
XI
92

VI. Probatur 3. ratione. Si D. Petrus in Ecclesia Christi habuit primam Sedem seu Cathedram summam, tunc iste fuit primus ac summus Pontifex, & in hoc Pontificatu illi successerunt, quicumque in eadem Sede seu Cathedra successerunt. Sed Petrus ex communi omnium Patrum attestazione in Ecclesia Christi habuit primam Sedem seu Cathedram summam. Ergo & ipse fuit summus Pontifex Ecclesie, & in hoc Pontificatu successerunt, quicumque in eadem illa Sede & Cathedra successerunt. Major patet à paritate. Sic enim, quia Cæsar Octavianus Augustus in Romano Imperio Thronum Imperialem habuit, fuit & ipse Imperator, & in hac suprema Imperatoria dignitate successerunt, quicumque in illo Throno Imperiali successerunt. Minor constat vel ex illis Tertulliani loc. cit. notissimis versibus.

Hæc Cathedra Petrus, quæ federat ipse, locatum

Maxima Roma Linum primum confidere iussit.

Post quem Cletus & ipse gregem suscepit Oviliis.

VII. Ecce Petro primo attribuitur Sedes & Cathedra Episcopalis, & in eadem alios successisse dicitur, & ab omnibus Fidelibus creditur. Idipsum clarissime exprimit Optatus Milevitanus in cit. lib. 2. cont. Parmenianum hæc verbis: *Si ignoras, disce &c. In urbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse collocatam, in qua sederit omnium Apostolorum Caput Petrus. Inde & Cephas appellatus est, in quo Cathedra unitas ab omnibus servaretur. Ne ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, ut iam schismaticus & peccator esset, qui contra singularem Cathedram alteram collocaret. Ergo Cathedra unica, qua est prima de dotibus, Sedit Petrus. Cui successit Linus &c. Damaso Siricius hodie, qui noster est Socius, cum quo totus Orbis commercio Formatarum in una communionis Societate concordat. Similia habent alij Patres locis supra citatis. Ex quibus apertissime habetur 1. D. Petrum habuisse Cathedram Episcopalem & fuisse Episcopum. 2. Hanc cathedram fuisse singularem, unicam (cui omnes aliæ erant subordinatæ) ac supremam. 3. in eadem Sede ac Cathedra Episcopali & universalis cum summa potestate successisse Linum, Clerum, Clementem & alios ex alijs usq; ad Modernum Papam Innocentium XI. Atque hos omnes veros fuisse Episcopos Sumos, quibus cum totus Orbis in una communionis Societate concordat. Videatur Forer in Antiquo Papatu, ubi Lib. 5. cap. 16. à num. 27. allata Optati verba pluribus explicat & urget contra Molinæum.*

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

VIII. **E**rror Primus. S. Petro nullus unquam legitime successit, licet multi pro talibus Successoribus se gesserint. Ita Sectarij tam confertim, quam pertinaciter, ut videre est apud Gerhardum Lutheranum Lib. 2. part. 1. fol. 468. & Amesium Calvinistam Tom. 1. fol. 168. post Wiclephum, cujus error 27. erat: *Non est scintilla apparentia, quod oporteat esse in Spiritualibus unum Caput regens Ecclesiam, quod semper cum ipsa Ecclesia militante conversetur & conservetur; qui error fuit damnatus in Concilio Constantiensi Sess. 15. citata. Probant Novatores hunc suum errorem 1. In Sac. Scriptu-*

ra nulla fit mentio successione Petri. 2. Si Petro aliquis successisset, utique unus ex Apostolis successisset cæteris dignior. Sed nullus Apostolorum successit Petro, ut etiam fatentur Catholici. Ergo &c. 3. Intra centum annos post Petrum nullus legitur aliquam jurisdictionem in totum orbem exercuisse. Ergo nullus in universalis potestate successit Petro. 4. Prophetæ etiam fuerunt propter Ecclesiam, & Ecclesia non minùs nunc eget varijs prophetijs, quam olim; hæc tamen prophetia non fuit continuata. 5. Petrus habuit potestatem faciendi miracula, ejiciendi dæmonia, linguis loquendi novis: item ut Epistolæ illius partes essent Scripturæ Canonicae. Ergo ista quoque Successori convenient. 6. Epistolæ Decretales Summorum Pontificum in primis tribus sæculis rejiciuntur ab ipsis Cardinalibus Bellarmino & Baronio. Ergo illis trecentis primis annis, inquit Molinæus Lib. 3. cap. 3. fol. 313. Episcopus Romanus non fuit Ecclesie Universalis Caput. 7. Circa mortem, corpus, & ossa Petri Romæ asserta variant Scriptores &c.

IX. **E**rrorem istum supra jam satis rejecimus. Nam certum est, Pontificem esse propter Ecclesiam: non Ecclesiam propter Pontificem. Atqui Ecclesia non minùs nunc eget uno Pontifice & supremo Rectore, quam tempore Apostolorum, imò verò etiam magis. Ergo moriente Petro non debuit interire supremus Receptoratus (qui non in Petri commodum, sed in Ecclesie utilitatem institutus erat) sed permanere, dum ipsa Ecclesia manet. Nec mirum, Sectarios adeo rotos in eo esse, ut successione Romanorum Pontificum in Sede D. Petri tollant; quia haud obscure inde advertunt tam Sectarum suarum obscuritatem, quam Ecclesie Catholice claritatem. Unde Epiphanius post enumeratos Romanos Pontifices: *nec quis, inquit, mvetur, quod tam exactè singula recensamus; per hæc enim claritas ostenditur. Jrenæus quoque Lib. 3. c. 3. postquam exactè enumeravit Romanos Pontifices à Petro ad Eleutherium, addit, per hanc successione confundi hereticos. Argumenta Adversariorum ex dictis facile refelluntur; ut tamen singulis clarè satisfiat.*

X. **R**espon. ad 1. Successionem in Monarchia Ecclesiastica Petri esse ex jure divino, & Christi instituto, eamque evidenter colligi ex Sac. Scriptura supra jam diximus. Adde Ecclesiam esse unum Corpus, & suum quoddam Caput hic in terris habere præter Christum, ut patet ex 1. Cor. 12. Ubi, postquam dixit Apostolus, Ecclesiam esse unum Corpus, subjecit v. 21. *non potest Caput dicere pedibus, non estis mihi necessarij;* quod certè non convenit Christo; ipse enim potest omnibus nobis dicere, *non estis mihi necessarij.* Nullum autem Caput aliud assignari potest præter Petrum: nec moriente Petro Corpus Ecclesie manere debet sine Capite. Aliquis ergo Petro succedat, necesse est. Ad 2. Apostolos multis de causis non fuisse Petro subrogatos. 1. quia moriente Petro pauci supererant. 2. quia superstitios valde senes & decrepiti fuerunt, ut tam laborioso officio non possent diu fungi. 3. quia procul aberant Romæ, ubi oportebat Episcopum residere. 4. ne Pontificatus confunderetur cum Apostolatu, & ille putaretur idem esse cum isto; quæ ultima ratio in primis rem suadere videtur. Ad 3. negando assumptum, quod prorsus falsum est; constat enim ex antiquis Patribus & Historicis, primos Petri successores Li-

res Linum & Clementem multos Episcopos alijs Provincijs proposuisse, qui est manifestus actus Pontificalis. Unde Baronius ad an. Christi 80. bene scribit, ex eo, quod Linus Petri primus successor ordinari tam Diaconos & Presbyteros, qui Romanæ Ecclesiæ usui essent, quam Episcopos, qui in diversas orbis Provincias mitterentur, per spicuum fieri, muneris fuisse Romanorum Pontificum, non solum Urbis, sed & Orbis totius Ecclesiæ consulere. Ad 4. hoc esse merum effugium, & tam ineptum; ut ejus pudeat Amesium; quis enim sapiens donum Prophetiæ unquam habuit tanquam ordinarium Ecclesiæ ministerium præter hunc Sœmiatorem? Ad 5. isthæc non requiri ad potestatem illam Pastoris universalis; ut sic, in qua sola Romanus Pontifex Petro succedit: requirebantur autem eadem in primis illis Ecclesiæ plantatoribus, quæ idcirco illis non defuerunt. Unde & hoc Puritani argumentum risu dignum est. Ad 6. esse planè impudens mendacium Molinæi, quod Baronius & Bellarminus primorum Papatum epistolâ indefinitè rejecerint. Baronius an. Chr. 166. n. 1. duas epistolâs Pij 1. vocat planè aureas. Bellarminus has ipsas pro Romani Pontificis Primatu adducit Lib. 2. de Pontif. cap. 14. Plura loca ex prædictis epist. apud utrumque Cordinalem ostendit Forer loc. cit. p. 2. fol. 128. Ad 7. & ultimam probationem patebit ex Controversiâ sequenti §. VI. & VII. Aliquid etiam contra eandem mox dicemus.

XI. *Error Secundus.* Petrum non fuisse Romanum Episcopum, ideoque nullum illi in Romano Episcopatu successisse. Ita cum suis adherentibus Tobias Wagner in censura motorum Doct. Besoldi à fol. 200. Probat præcipuè ex eo, quod Patres, quos Besoldus allegat, id non asserant, sed loquantur vel. 1. solum de fundatione Romanæ Ecclesiæ; in qua Petrus socium habuit Paulum, ideoque nihil peculiare. Vel 2. de Sede & Cathedra; & hæc alij etiam Apostoli alibi habuerunt. Vel 3. de successione Romanorum Episcoporum, Lini, Cleti, Clementis &c. in qua Petrus à Patribus non Episcopus, sed Fundator solum ponitur cum Paulo. Vel 4. de eminentia Romanæ Ecclesiæ; quæ sufficienter habetur ex duobus Apostolis Petro & Paulo ejus Fundatoribus. Vel 5. de prædicatione Evangelij Christi; quam itidem Romæ fecit Paulus. Vel denique 6. de materiali Ecclesia, quæ jam tempore Alerici splendide fuit ædificata Romæ. Confirmatur 1. Est contra vocationem Apostolorum fixam habere Sedem per 25. annos, cum in omnem terram à Christo mandati fuerint. 2. Petrus non alio modo fuit Romæ Episcopus, quam Antiochiæ. Sed Antiochiæ non fuit Episcopus Monarchicus. Ergo nec Romæ. 3. Si quis Petro Romæ successisset in regimine totius Ecclesiæ, eligi debuisset à tota Ecclesia; etenim particulares Ecclesiæ non possunt alijs Caput imponere, in quas nullam jurisdictionem habent; sicuti populus Gallicus non potest eligere Regem Hispaniarum. Sed nullus eorum, qui numerantur inter Pontifices, fuit à tota Ecclesia electus, sed tantum à Clero Romano. Ergo nullus legitime successit Petro in Regimine universæ Ecclesiæ.

XII. *Error iste est cæci planè Tobiaë Wagneri qui tamen inter talpas hæreticos sibi oculatus videtur, ideoque ausus fuit sibi sumere refutanda motiva Fidei Catholicæ, quibus motus ad Roma-*

nam Ecclesiam se convertit Christophorus Besoldus Jurium Doctor, & vir celeberrimus. Sed ad propositum, Petrum Romanum fuisse Episcopum, Antiqui Patres abunde testantur. Nam 1. nominant illum *Episcopum Romæ*. 2. attribuit ipsi ibidem *Cathedram Episcopalem*. 3. Seriem Romanorum Episcoporum ab ipso numerare incipiunt & in primo eum loco ponunt. 4. scribunt *Romæ ipsam mortuum fuisse & quidem Episcopum*. Petrus Apostolus, inquit Eusebius Casariensis in Chronico An Christi 44. *Natione Galilæus, Christianorum Pontifex primus, cum primum Antiochenam Ecclesiam fundasset, Romam profectus, ubi Evangelium prædicans viginti quinq. annis ejusdem Urbis Episcopus perseverat.* Et quamvis prima verba (natione Galilæus & Christianorum primus Pontifex) non in omnibus exemplaribus reperiantur, atque idcirco etiam à Baronio An. Christi 44. omittantur, reliqua tamen apud omnes indubitata sunt, & ad propositum nostrum unice faciunt; quia non jam de Primatu Petri, quem supra luculenter probavimus, sed de ejusdem Episcopatu agitur, qui in terminis asseritur. Et certè hæc Patrum testimonia æquè perspicua sunt, ac quando de Julio Cæsare scribitur, quod fuerit Imperator Romanus, Cæsarem thionum Romæ habuerit, primus inter Romanos Imperatores extiterit, Romæ tanquam Impetator mortuus & occisus fuerit. Unde apparet, Adversarios veritatem luce clariorem obscurare velle.

XIII. *Respon. 1.* ad probationem. Patres aperti & solidius stare pro doctrina nostra, quam ut tam facile in alienum sensum detorqueri se patientur, nihilque aliud sunt omnes allatæ interpretationes, quam inania effugia. Ad 1. dicimus, Paulum fuisse quidem Fundatorem Ecclesiæ Romanæ; at non æquè primum ac præcipuum, sicuti fuit Petrus; cujus primatus antè jam probatus facit, ut proinde similes locutiones Patrum, quibus utrumque Petrum & Paulum Ecclesiæ Romanæ Fundatores & Episcopos asserunt, pro subjecta semper materia sint intelligendæ, cum Fundatio & Episcopatus Petri in Romana Ecclesia longè aliter se habeat, ac Pauli; ille enim prædictæ Ecclesiæ primus ac præcipuus fuit Fundator & Episcopus: iste verò solum Petri confundator & Coadjutor, eiq; subordinatus, ut supra jam diximus. Alioquin, nisi hujusmodi diversitas pro subjecta materia attendatur, cum non solum Christus, sed etiam Apostoli 1. Cor. 3. v. 10. fundamenta Ecclesiæ dicantur, admittendum erit, non aliter Christum, quam ipsos Apostolos esse fundamentum Ecclesiæ, quod utique absurdum est. Ad 2. non negari hoc, sed alibi jam probatum supponitur, Petro à Christo concessum fuisse Principatum, vi cujus omnes Ecclesiæ ab alijs quibuscunque erectæ ipsi sunt subordinatæ, atque ab ejusdem suprema potestate dependent. Ad 3. quando Linus, Cletus, & sequentes Rom. Pontifices dicuntur Successores Petri, hunc ipsum in numero Episcoporum Romanorum includi, sicuti Julius Cæsar intra seriem successorum in Imperio continetur; Linus autem dicitur secundus, aut, quod idem est, primus à Petro, sicut Augustus Imperator secundus, aut primus à Julio Cæsare fuit. Ad 4. SS. Patres apertis verbis attribuere D. Petro Episcopalem Sedem & Cathedram. Ergo Episcopus fuerit, oportet. Ex quo eminentia Ecclesiæ Romanæ supra omnes alias surrexit. Ad 5. non esse dubium, quin Petrus Romæ prædicaverit, sed simul

simul etiam in eadem Urbe Roma Cathedram Episcopalem collocaverit, ut affirmant expressè Patres. Ad 6. denique, Petrum longè ante Romam fuisse, quàm illum ædificatum esset templum. & non quomodocumque & indeterminate Episcopum ibidem vixisse, sicuti Judæ Apostolatus vocatur Episcopus Pfal. 108. v. 8. sed proprie & determinate. Nam in Roma, inquit Epiphanius hæresi 27. fuerunt primi Petrus & Paulus Apostoli, idem & Episcopi, deinde Linus, deinde Cletus, deinde Clemens, &c.

XIV. Respond. 2. ad 1. confirmationem. Apostolos fuisse quidem à Christo in universum mundum amandatos, non tamen, ut singuli ubiq; prædicarent Evangelium, utq; omnes simul fidem per universum orbem propagarent; Unde inter se divisionem Provinciarum fecere atq; in diversa loca discessere: at verò non ita ex uno loco in alterum properarunt, ut inde incredibile fieret, Petrum 27. annis Romæ perstitisse ejus Urbis Episcopum; quantumvis non requiratur ad Episcopum loci proprium, ut in eodem semper loco resideat, cum absentiam suam per Vicarium supplere possit, sicuti ex Romanis Pontificibus Clemens V. Johannes XX. Benedictus XII. Clemens VI. Innocentius VI. Urbanus V. in Gallia manserunt, & tamen Romani Pontifices extiterunt, cum Ecclesiæ Romanæ verè præfuerint, & Romæ per Vicarios suos rexerint. Ad 2. certissimum esse, Petrum Antiochiæ quoq; Episcopum fuisse; sed non perinde Ecclesiæ Antiochenæ, ac Romanæ Primatum suum annexuisse. Fuit igitur proprius Antiochiæ & Romæ Episcopus, sed Episcopatum Antiochenum tanquam privatum reliquit Evodio, Romanum verò tanquam Universalem possedit, Et ut talem omnibus Successoribus concessit post vitam & martyrium suum. Ad 3. commodius infra respondebimus, ubi ex instituto de Electione Papæ agemus.

CONTROVERSIAM XXVI.

AN OMNES SUMMI PONTIFICES DEBEANT ESSE ROMANI,

Conspicua hic se offert quæstio, in qua nec inter Catholicos Doctores convenit. Utrum conjunctio Papatûs & Supremæ Jurisdictionis cum Episcopatu Romano sit ex voluntate Christi, adeoque de jure divino: an solum ex voluntate D. Petri, cujus arbitrio ac potestate fuerit relictum à Christo, cui velis Episcopatu dignitatem illam supremam annexere? Si primum, non potest fieri mutatio: Si alterum, potest fieri à quolibet Papa, cum singuli tantam habeant potestatem, quantum habuit Petrus.

PARS PRIOR

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. **D**octrina Prima. Sanctus Petrus præter universalem gubernationem totius Eccle-

sia peculiarem curam habuit Urbis Romæ, cujus loci proprius fuit Episcopus, & in ea per Crucis Martyrium Domino Spiritum reddidit. Hujus doctrinæ veritas, inquit, Card. Bellarminus Lib. 2. de sum. Pontif. cap. 1. ultra mille quingentos annos constantissimè à toto orbe terrarum credita fuit, & eam docet Historia Ecclesiastica; unde accepimus, Petrum post mortem Christi quinque annis permansisse in Judæa: inde in Syriam fuisse profectum, & Antiochiæ Sedem collocasse per septem circiter annos: hinc Romam abiisse An. Christi quadragésimo quarto, & ibi annos viginti quinque sedisse, subinde tamen excurrando Jerosolymam, & in alias Provincias: tandem An. Christi 69. Romæ Martyrio coronatum fuisse, ut pluribus Patrum testimonijis probant Sanderus in præstanti Opere suo de visibili Monarchia Ecclesiæ Lib. 6. cap. 10. & alij in superiori Controversia relati, ubi etiam doctrinam hanc jam dedimus & autoritate ac ratione stabilivimus.

II. Hæc autem translatio Sedis Pontificæ ex Judæa Romam divino instinctu facta videtur duabus ex causis. Prima, Ut indicaret Christus, se desertis Judæis incredulis ad Gentem migrare, quarum Caput erat Roma, sicut prædixerat Matth. 23. v. 38. *Ecco relinquetur vobis domus vestra deserta.* Et Matth. 8. v. 11. *dico autem vobis, quod multi ab Oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham Isaac & Jacob in Regno Calorum: Filij autem regni ejicientur in tenebras exteriores;* quod fufius declaravit per parabolum hospitem Luc. 16. v. 16. Ubi cum hospites invitati nolent comparere, Mendici ex plateis collecti fuerunt. Alteram causam indicat D. Leo Serm. de SS. Apostolis Petro & Paulo, quod ex Urbe Romana Capite totius Mundi fides Catholica facilius spargeretur; sic enim ait: *Petrus Princeps Apostolici Ordinis ad arcem Romani destinatus Imperij, ut Lux veritatis, que in omnium Gentium revelabatur salutem, efficacius se ab ipso Capite per totum mundi corpus diffunderet, cujus enim Nationis homines in hac tunc Urbe non essent? aut que usquam Gentes ignorarent, que Roma didicisset?*

III. *Doctrina Secunda.* Quotquot hætenus in Pontificatu successerunt Petro, omnes fuerunt Romani Pontifices. Constat ex Chronologia Card. Bellarmini & Tabulis chronographicis P. Jacobi Gualteri, qui de anno in annum describunt seriem Pontificum, nec ostendi ullus potest, qui non fuerit Episcopus Romanus; imò ex 243. nec fuit unquam, qui se Petri Successorem ullo modo asserverit, præter Romanum & Antiochenum Episcopos. Sed Antiochenus non successit Petro in Pontificatu totius Ecclesiæ. Ergo Romanus.

IV. Porro Successionem istam Romani Pontificis in Ecclesiastica Hierarchia Card. Bellarminus magnâ eruditionis copiâ & soliditate doctrinæ Lib. 2. de sum. Pontifice à cap. 13. confirmat. Nempe 1. ex Concilij generalibus Nicæno. Constantinopolitano, Ephesino, Chalcedonenfi &c. 2. ex testimonijis 12. Summorum Pontificum sanctitate & doctrinâ è primis sæculis illustrium. 3. ex tredecim veterum Græcorum: & 4. ex totidem antiquorum Latinorum Patrum consensu, qui omnes non fuerunt summi Pontifices 5. ex Origine & Antiquitate hujus Primatus, cum reverâ ejus initium usque ad Christum & S. Petrum inveniri nullum queat. 6. ex Autoritate, quam semper exercuerunt veteres Pontifices in Episcopos cæteros; si quidem legimus à Pontificibus Romanis Episco-

pos in

pos in toto orbe institutos, vel re-
stitutos, ut subjectis exemplis monstratur. 7. ex
legitimis Dispensationibus & Censuris. 8. ex Vi-
carijs Papæ. 9. ex jure Appellationum. 10. de-
nique quod Summus Pontifex à nemine judice-
tur. Quæ omnia talia sunt, ut non modo simul
sumpta, sed pleraque etiam seorsim cuilibet pru-
denti rem planè persuadere possint ac debeant.
Nos suis quæque locis attulimus, quæ ad succes-
sionis in Monarchia Ecclesiastica necessitatem com-
probendam magis faciebant, nec alium Successo-
rem Petri, quàm Romanum Pontificem intelle-
ximus; quamvis juxta exigentiam methodi prius
de Successore indeterminatè egerimus, quàm no-
minatim Romanum Pontificem exprimeremus.
Quæ etiam desiderari adhuc possunt ad eundem
stabilendum, commoditè in sequenti contro-
versia dabimus, ubi oppositum errorem refutabi-
mus. Solum hic expressa verba Concilij Nicæni
1. adducere lubet, quæ in can. 6. sic habentur: *Ec-
clesia Romana semper habuit Primum; Mos autem per-
duret.* Ubi tria breviter adverte. 1. Concilium
non dicere, nos Ecclesiæ Romanæ Primum con-
ferre, sed profiteri, ante jam semper habuisse à
tempore Apostolorum. 2. Morem hunc, ut scil.
Primatus Romanæ Ecclesiæ sit conjunctus, per-
durare oportere, & cur? nisi ex institutione Chri-
sti. 3. hunc canonem in concilio Chalcedonen-
si lectum fuisse, & eo bene percepto Judices dixisse:
*Perpendimus, omnem Primum & honorem præcipuum
secundum canones antiquæ Romæ DEI amatissimo Archi-
episcopo conservari.*

VI. Nunc illa, quàm diximus, quæstio deci-
denda venit. An conjunctio Summi Pontificatus
cum Romano Episcopatu sit de jure divino? Pro
qua observandum ex Bellarmino Lib. 2. de Sum-
Pontif. cap. 12. aliud esse successionem: aliud rati-
onem successionis, ut supra jam insinuavimus;
de illa certum est, quod sit ex institutione & jure
divino: de hac non item; quia aliqui etiam ex
Catholicis Doctoribus in oppositum allegantur;
quo tamen non obstante, absolutè Romanus Pon-
tifex totius Ecclesiæ Caput & Pastor est dicendus;
Posito etiam (non concessio) quod de jure divino
non sit, Romanum Pontificem succedere Petro, id
tamen ad fidem Catholicam pertinet; quippe
idem non est, aliquid esse de fide: & esse de jure
divino; nec enim de jure divino fuit, ut Paulus
haberet penulam, est tamen hoc de fide, Paulum
habuisse penulam ex 2. Tim. 4. v. 13. ubi Aposto-
lus scribit: *penulam, quam reliqui Troade apud Cær-
pum, veniens asser tecum.* Et quamvis expressè non
habeatur in S. Scriptura, Romanum Pontificem
succedere; Petro tamen succedere aliquem de-
ducitur evidentè ex Sac. Scripturis; hunc autem
esse Romanum Pontificem, habetur ex Traditio-
ne Apostolica D. Petri, quàm Concilia Generalia,
Pontificum decreta, & Patrum consensus decla-
rârunt, ut jam ex dictis constat. Hoc præmissio.

VII. *Doctrina tertia.* Summus Pontificatus ex
jure divino & institutione Christi annexus est
Urbi Romanæ, ut nullus eligi possit Pontifex, nisi
fiat unà Pontifex Romanus. Ita probabilis Card.
Bellarmino Lib. 2. cap. 12. Gresseris in defensione
Bellarmini, Valentia, Salmeron, Tiedo, Tur-
recremata, Jacobus Tirinus & alij, quos refert &
sequitur Adamus Tanner Tom. 3. Disp. 1. Q. 4.
num. 150. Probatur 1. Testimonijs Patrum, qui
simpliciter & absolutè ita loquuntur, Romanum

Pontificem hoc ipso, quod sit Pontifex, divino
jure & institutione Christi Successorem esse Pe-
tri, atque ad hanc ipsam rem probandam Scri-
pturæ testimonia accommodant, qui proinde re-
ctius & convenientius ita intelliguntur. Addu-
cam nonnullos. Anacletus cap. 2. Dist. 22. ait,
*Sacrosancta & Romana & Apostolica Ecclesia non ab A-
postolis, sed ab ipso Domino Salvatore nostro Primum ob-
tinuit, & eminentiam potestatis super omnes Ecclesias.*
Nicolaus 1. cap. 1. ead. Dist. Romanam Ecclesiam solus
Christus fundavit, & eam cunctis Ecclesijs prætulisse, agno-
scitur. Pelagius 1. cap. 3. Dist. 21. Romana Ecclesia
nullis Synodici constitutionibus prælata est cæteris, sed
Evangelicâ voce Domini & Salvatoris nostri Primum
obtinuit. Iulius 1. epist. ad Antiochenos scribit in
hæc verba: *Romanam Ecclesiam ipse Dominus allocutus
est dicens: Tu es Petrus &c. Domini voce Sacra atque
desuper exaltata est.* Nicolaus III. cap. 17. de Elect.
in 6. ait: *Romani Sacerdotij Principatum & Christianæ
Religionis Caput Imperator cælestis constituit.* In Conci-
lio Lateranensi sub Innocentio III. Can. 5. dicitur
*Romana Ecclesia disponente Domino cunctorum Fide-
lium Mater atq. Magistra.* Et in alio Lateranensi
sub Julio II. Romana Ecclesia divinâ institutione ob-
tinet Primum. Denique Innocentius III. serm. de
Octava Apostolorum scribit: *Dominus ait ad Petrum,
duc in altum, id est, vade Romam, ne tanti honoris digni-
tas ad aliam Civitatem quâcunque ratione transiret, sed
in hac Urbe juxta divinam dispositionem maneret.* Huc
etiam referri potest, quod Marcellus Papa in epist.
ad Antiochenos scribat, *Petrum jubente Domino ve-
nisse Romam.* Item quod S. Ambrosius in Orat.
contra Auxentium, & D. Athanasius in Apol. pro
sua fuga affirmant, *Petrum jussu Christi Romæ Mar-
tyrium pertulisse,* scil. illuc Christus Dominus jussu
suo iter & Martyrium Petri direxit, quò ipsum
eodem imperio destinavit summum Ecclesiæ suæ
Pontificem; quo ipso indicatur, voluisse Chri-
stum nullum alium post Petri mortem esse Succes-
sorem, quàm Romanum Pontificem.

VIII. Probatur 2. ex perpetua Ecclesiæ præxi,
quæ semper & summos Pontifices & Episcopos Ro-
manos creavit; utique non frustra, nec sine ratione
(cum variæ causæ suaderent, aliò potius Sedem
transferre, idque Orientales Patriarchæ vehementer
expetere) sed quia existimabatur, ex divina
dispositione, id fieri oportere. Probatur 3. ab ex-
perientia divinæ Providentiæ, quæ semper Ro-
mam singulariter conservavit, licet multis ho-
stium incuribus vexatam præsertim Gothorum,
Hunhorum, Wandalorum, Langobardorum &c.
ut nunquam potuerit deleri, nec à vera fide peni-
tus avelli. Sed quid, si DEUS permitteret, Romam
vastari, penitusque everti, ut nihil murorum &
incolorum amplius exstaret. Existimo cum Ar-
riaga Tom. 5. D. 7. n. 46. tunc necessitate natu-
rali cessaturam eam obligationem, adeoque Chri-
stum neq; casum hunc mandato suo comprehendisse,
neq; voluisse, quò minus in eodem casu Succes-
sor Petri Sedem suam alibi figeret. Probatur 4.
ex formula Professionis Fidei, quàm Pius IV. præ-
scribit, ubi inter alia profitemur *sanctam, Catholi-
cam, & Apostolicam, Romanam Ecclesiam omnium Ecclesia-
rum Matrem esse: & Romano Pontifici obedientiam spon-
demus.* Quæ professio utique est etiam pro futu-
ris sæculis facta, adeoque supponit, summum Pon-
tificem semper fore Episcopum Romanum.

IX. Oppositum huic tertiæ doctrinæ nostræ
tenent M. Dom. Bannez 22. Q. 1. art. 10. Sorus

Lib. 4. Sent. Dist. 24. q. 2. art. 5. Alphonsus Mendoza in Controv. Theolog. q. 2. & alij apud hunc relati, quibus non parùm favet Ariaga D. 7. cit. n. 45. Moventur. Tum quia S. Petrus 12. annis fuit Pontifex, antequam veniret Romam, ut constat ex historijs. Ergo summus Pontificatus & particularis Episcopus Romanus non sunt necessariò connexi. Tum quia nec ex Sac. Scriptura, nec ex Traditione ostendi potest præceptum divinum hujus institutionis. Tum quia Clemens V. anno 1312. Seditionibus Italicis turbatus Sedem Pontificiam transtulit Avenionem in Gallia sitam, ubi mansit annis 74. docet Gregorius XI. monitu S. Catharinæ Senensis eam reduxit Romam an. 1376. Ergo Pontificatus non est annexus Romæ, sed potest ad quamlibet partem mundi transferri. Tum quia ultimo tempore Antichristi Roma ad idolatriam reversa funditus destruetur juxta prophetiam S. Joannis Apocal. 17. & 18. ubi nomine meretricis purpuratæ & nomine Babylonis Doctores communiter intelligunt Romam; ubi tunc erit Pontifex, quando nulla erit Roma?

X. Hæc argumenta faciunt istam opinionem probabilem: nostræ tamen Sententiæ majorem probilitatem non adimunt. Nam si Christus Petro modum & tempus mortis præsignificavit 2. Pet. 1. v. 4. & Joan. ult. v. 9. multò magis illa, quæ circa Successorem ejus fieri vellet. Unde merito censemus, minùs probabile esse, quod ait Sotus loc. cit. Petri beneplacito fuisse relictum, cui vellet Episcopatu annectere Pontificatum. Nam SS. Patres absolute asserunt, *persidiam non posse habere accessum ad Romanam Ecclesiam*; quod tunc non esset certum; etenim aliqui Pontificum Romanorum (utpote pari potestate præditus, quæ Petrus, cum hujus non Vicarius sed Successor sit) posset divellere Primatum à Romana Ecclesia, & annectere Coloniensi, Salisburgensi, aut Avenionensi Ecclesiæ &c.

XI. Respon. ad 1. ex prædictis argumentis; D. Petrum, licet non statim fuerit Romæ, mox tamen fuisse Romanum Episcopum; quia etiam absens à Christo creari potuit, sicut hodie sæpe numero fit in Episcopis creandis; plerumque Suffraganei Episcoporum creantur Episcopi Asiæ, ubi nunquam fuerunt. Quare Petrus à Christo totius Ecclesiæ Pontifex constitutus non adjunxit sibi Pontificatum Urbis Romanæ, quo modo Episcopus alicujus loci adungere sibi solet alium Episcopatum, sed mox Romanæ Urbis Episcopatum ad summum orbis terrarum Pontificatum evertit. Unde qui eligitur Romanus Episcopus, eo ipso est summus Pontifex totius Ecclesiæ, etiamsi forte id non exprimant Electores. Ad 2. non exigendam à nobis esse rationem ex Scriptura vel Traditione, cum non asseramus, nostram sententiam esse de Fide. Ad hæc fundamentum in Scriptura & Traditione non exiguum hujus doctrinæ innuitur, dum ex testimonijs tot Patrum astruitur, qui illam utique non ex suo merè sensu, sed ex Scriptura & Traditione acceperunt. Ad 3. etiam absentes à sua diocesi nihilominus mansisse Episcopos Romanos, quia localis præsentia non est de essentia jurisdictionis Episcopalis; certè non prodit Ecclesiastica historia, alium interea fuisse Romanum Episcopum, quàm Papam, etiamsi in Gallia tunc extiterit. Ad 4. Nomine Romæ non tam muros Urbis intelligi, quàm Incolas ejus; licet ergo ab Antichristo Roma funditus evertatur,

tamen ubique remansuros aliquòt Fideles, quorum curam gerat Romanus Episcopus, ubicunque tunc existens. Ad hæc incertum est, an Roma sit penitus extirpanda. Sed demus, non solum muros, sed etiam incolas ejus è medio sublaturum iri, jam diximus paulò supra, mandatum Christi in tali casu non urgere, sed posse Papam alibi suam habere sedem.

XII. Ex his apparet, privilegium Primatus Ecclesiæ, etsi quoad primam sui à Christo institutionem Matth. 16. v. 18. & Joan. ult. v. 15. solum fuerit Personale, id est, concessum & annexum Personæ Petri (non ut erat persona privata sed publica, id est, ipsi & Successoribus ejus) postea tamen nutu & jussu ejusdem Christi factum esse etiam Locale; seu certi loci, puta Romanæ Ecclesiæ affixum, à qua non possit ullà humanà potestate avelli.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

XIII. **E**rror primus. D. Petrus nunquam fuit Romæ. Ita præter alios Novatores Udalricus Velenus Lutheranus integro libello octodecim suasiones, ut vocat, complectente, sed quæ omnes ad tres revocari possunt. 1. est, quod in Scriptura Sacra nulla fiat mentio hujus itineris, etiam in Actis Apostolorum, ubi Acta S. Petri enucleate recensentur. 2. quintuplicem conjecturam continet ex Epistolis D. Pauli. 1. est, quod Paulus Romam scripserit ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses &c. nullà Petri factâ mentione. 2. quod absentiam hujus haud obscure indicet 2. Tim. 4. v. 16. ubi conqueritur, *in judicio neminem sibi assistere*. 3. quod Paulus Corintho tam prolixam scripserit epistolam ad Romanos, quæ minime necessaria fuisset, si Petrus ibi extitisset sufficiens ovium suarum instructor. 4. quod in eadem epistola c. 15. v. 23. scribat, *se desiderare Romanam personaliter proficisci*; ad quid autem si Petrus ibi Pastorem egisset. 5. denique quod ad Galat. 2. v. 9. asserat, *Petro Judæos esse creditos; qui in Judæa erant, sibi autem Ethnicos*. 3. persuasio Veleni sumitur ex chronologia, quasi hæc non satis cohæreret, si Petrus Romæ fuisset.

XIV. Error iste ita insolens est, ut Maldonatus noster in cap. 16. Matthæi dicat: nemo ante Novatores neque Catholicus, neque hæreticus auctor fuit, qui non affirmaverit, & Petrum Romæ mortuum, & Romanos Pontifices ejus Successores esse. Pugnabit ergo pro illo orbis terrarum contra insensator. Jacob. Tirinus in chronico ante r. part. Comment. in univ. Sac. Script. cap. ult. sub finem Imperij Neronis ex innumeris penè totius orbis testibus docet, Petrum non solum Romæ fuisse, sed & mortem ibidem oppetivisse unâ cum S. Paulo. Ipsi quoque hæretici idem affirmant Joannes Carion, David Chytraeus, Joannes Funcius & alij, ut non malè Baronius putet, istam veritatem ex Traditione Romanæ Ecclesiæ haberi. Calvinus cum antea negasset, Petrum aliquando Romæ fuisse (nimirum in expositionibus suis in cap. 22. Iremiæ his verbis: *Roma nunquam vidit Patrum, ut arbitror*) alio deinde loco turpissimum hunc

hunc errorem, cujus ipsummet pudit, recantavit, scil. Lib. 4. In tit. cap. 6. his verbis: *Propter scriptorum consensum non pugno, quin Romæ mortuus sit Petrus. Sed Episcopum fuisse præsertim longo tempore non persuadeor.* Veleno consentire non audent Amefius & Gerhardus: At bene Molinaus à fol. 283. cui scil. posita fronte, nullum amplius mendacium tam luculentum & palpabile est, quod contra Romano-Catholicam Ecclesiam arripere non audet, impudenti suo Magistro Calvino impudentior. Vix autem assert aliquid, quod Velenus non attigit. Solum addit, circa mortem & ossa Petri variare Scriptores, ideoque fabulosam videri, quæ nunc circumferuntur. Sed videamus, quid sub illis susationibus.

XV. Respon. 1. ad 1. susationem, ex autoritate negativa Scripturæ nihil probari; siquidem non omnia scripta sunt. Sufficit igitur autoritas Patrum & Doctorum Ecclesiæ testantium, Petrum Romæ fuisse, quales præter Scriptores apud Tirinum, ut dixi, relatos nominatim sunt Anacleris, Tertullianus, Origenes, Chryostomus, Athanasius, Gregorius Nazianzenus, Damasus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius M. & alij apud Card. Bellarminum Lib. 2. de Pontif. à cap. 2. Imò ipse Petrus in fine suæ epistolæ haud obscure insinuat, se illam Romæ scripsisse, dum salutem ponit nomine Ecclesiæ, quæ est in Babylonia, id est, in Urbe Roma Babyloni antiquæ quoad amplitudinem; magnificentiam & splendorem imperij: item quoad multitudinem; varietatem; & confusionem (hoc enim significat Babel) Nationum, idolorum, vitiatorum, spoliatorum & opum totius mundi quam simillima, ut pulchre demonstrat Orosius, & unanimiter asserunt Sancti Patres; & Doctores orthodoxi apud Riberam, Viegam, & Alcazar in cap. 18. & 19. Apocalipsis. D. Luca in Actis mens non fuit, Apostolorum describere vitas, sed successum primum Rei Christianæ in Jerusalem & locis vicinis: item acta referre D. Pauli proprijs hausta oculis, cum hujus esset socius. Cæterum nemo est, qui nesciat, innumeras fieri res magni momenti: non autem litteris consignari.

XVI. Respon. 2. ad 2. susationem. Si conjecturæ similes rem persuadeant, ruit omnis fides antiquitati hæcenus habita; quid enim antiquitus est factum, & ab Historicis relatum, contra quod manes tales persuasiones excogitari nequeant? certe sic nec D. Joannes fuerit Episcopus Ephesi, nec D. Jacobus Hierosolymis; quia Paulus ad Ephesios & Hebræos scribens nec illius, nec hujus facit mentionem, & tamen Joannem Ephesi, Jacobum Hierosolymis fuisse Episcopum, fatentur ipsi etiam hæretici. Ad 1. conjecturam dicimus. D. Petrum non semper Romæ hæsisse à tempore, quo in Urbem venit, sed relicto Vicarijs Lino & Cleod in Britanniam, Hispaniam, & Africam ad Ecclesias ibi fundandas & firmandas excurrisse, ut docent Innocentius 1. & alij, atque ex his Baronius, Bellarminus, Tirinus &c. Fieri ergo potuit, D. Petrum tunc temporis, cum scriberet Paulus, Romæ non fuisse, idque non latuisse Paulum. Quod si Petrus Romæ tunc fuit, peculiare ad eum litteras, ut moris est, dederit Paulus, ut necesse non fuerit, in litteris publicis eundem rursus salutare. Ad 2. quam præ cæteris urget Calvinus, D. Petrus tunc non fuisse Romæ. Ad hæc cum ibidem Apostolus dicat, Lucam apud se fuisse, is non pro-

fus de omnibus est intelligendus, sed de ijs solum, qui juvare ipsum apud Cæsarem potuissent, cujusmodi fuerunt quidam Nobiles, non autem Petrus, æquæ ac Paulus Cæsari exofus. Ad 3. D. Paulum etiam ad alias Ecclesias, ubi alij erant Apostoli, dedisse litteras, non tanquam necessarias, sed ad subsidium Petri. Ad 4. Apostolum speciali instinctu Romam anhelasse ad locum martyrij sui. Ad 5. denique, potestatem Apostolatûs non fuisse uni loco affixam, sed in totum orbem diffusam; quamvis prima cura Judæorum fuerit demandata Petro, & Paulo Ethnicorum, de qua iste fuit locutus.

XVII. Respon. 3. ad 3. susationem Veleni, pulcherrimè omnia sibi cohærere, si rite intelligantur, ut præter alios insigniter ostendit Tirinus in chronico cit. Nam Petrus antequam Romam abiret initio anni duodecimi Antiochiâ Jerosolymam reversus, & ibidem ab Herode Agrippa post Jacobum Zebedæi gladio sublatum in vincula compactus, sed ab Angalo liberatus tunc Romam discessit, & Cathedram suam in hac Urbe constituit, Evodio Antiochiæ Episcopo relicto. Post septennium autem Claudij Imperatoris edicto unâ cum omnibus Judæis Româ proscriptus Jerosolymam redijt, & Antiochiam revisit, ubi à Paulo inventus est. Sed quatriennio post Claudio Imperatore mortuo Romam reversus, & ibidem occisus est an. Christi 69. Neronis 13. ut bene declarat cit. Author, & ante ipsum Card. Baronius.

XVIII. Quando igitur dicitur Petrus 25. annis Sedem habuisse Romæ, non id intelligendum physice, quasi nunquam inde discesserit, sed moraliter majore ex parte: nec unquam abierit sine animo, quamprimum possit, redeundi; perinde ut J. C. & T. T. ajunt, aliquem habere perpetuum domicilium, ubi cepit habitare animo manendi perpetuo, licet subinde aliò proficiscatur, v. g. in bellum & aliquot annis emanat. Ex his constat, recte nos hodie Veleno alijsque Novatoribus occinere, quod olim SS. Patres non dubitarunt hæreticis dicere: *Negare non potes Petrum Romæ &c.* Quod addit Molinaus de varietate Scriptorum circa mortem & ossa D. Petri vanissimum est. Nam nemo Catholicorum dubitat de morte D. Petri Romæ obita; etsi non omnes modum mortis expriment; & D. Athanasius solum genericè dicat in Apolog. pro fuga, illum Romæ fuisse occisum. Corpora & Ossa Petri & Pauli inter varios hostiles incurfus mirè fuerunt à Deo Romæ custodita, ut ostendit Binius Tom. 1. Cnncil. in annotat. ad epist. 1. Cornelij. Ex pio etiam affectu Catholicorum eadem Sac. Ossa subinde in varia loca sunt translata, ut sic omnibus periculis eriperentur, & illæsa conservarentur.

XIX. *Error secundus.* Summus Pontifex non debet esse Episcopus Romanus. Ita comuniter Hæretici indiscriminatim loquentes de Episcopo Romano specificativè & reduplicativè sumpto; quod non faciunt Authores Catholici priore parte §. IX. adducti solum disputantes de Episcopo Romano, quæ tali, num iste sub reduplicacione ex jure divino debeat esse Summus Pontifex, quos idcirco minimè hic comprehendere, & opinionem illorum erroream censere volumus. Ex illis ergo hæreticis Amefius à fol. 171. & Gerhardus Lib. 2. p. 1. art. 3. c. 4. errorem istum probant. 1. Nemo inter veteres Patres unquam affirmavit, aut per somnium cogitavit, Romanum Pontificem habuisse Primum Potestatis Monarchicæ ab initio ju-

re divino. 2. Quandoquæ sunt objecta distincta etiam munera & officia circa ea sunt distincta, nec in unam cadunt personam. At in proposito objecta sunt distincta. Ergo & officia circa eadem distincta sunt, diversasque requirunt Personas. 3. Neque Scriptura neque Traditio habet; Sedem Apostolicam ita fixam esse Romæ, ut inde auferri nequeat, uti concedunt Papistæ. At si Sedes Apostolica potest Romæ auferri, utique dici nequit, Romanum Episcopum, ideo quia est Romanus Episcopus, Petro in Apostolica Sede succedere. 4. Si ex sententia saltem aliquorum Papistarum non sit de jure divino, ut Papa sit Episcopus Romanus, utique ex eo, quod Romanam Ecclesiam Petrus fundarit, ac Romæ Mortuus fuerit, probari nequit, Romanum Episcopum in Monarchia Ecclesiastica esse Petri Successorem; alias Romano Episcopatu successio illa necessario & indivulso adhereret nexu.

XX. Errorem hunc satis supra rejecimus, & distinctè diximus, esse quidem de fide, Romanum Pontificem divino jure succedere Petro, totiusque Ecclesiæ esse Caput: attamen non ita ex fide certum esse, Pontificem Romanum, hoc ipso quod Romanus Pontifex sit, divino jure Petri Successorè esse in universali illa cura, ita ut summa illa Auctoritas gubernandi Ecclesiâ directâ institutione ac lege divinâ Romanæ Cathedræ inseparabiliter annexa sit; quantumvis nos istud posterius probabilius iudicaverimus. Sectarij utrumque negant, ideoque in fide etiam errant inutilibus probationibus nixi.

XXI. Respon. igitur ad 1. hoc coronatum esse mendacium. Anne in Concilio Ephesino (quod præter alia supra jam adduximus) de Primatu Romani Pontificis nec per somnium fuit cogitatum, cum nemine uno abnuente Philippus Presbyter Apostolicæ Sedis Legatus coram œcumenica Synodo pronunciavit: *Nulli dubium, imò sacculis omnibus notum est, S. Petrum Apostolorum Principem, Caput, Fidei, Columnam, Ecclesiæ Catholice Fundamentum à Domino nostro Jesu christo Regni claves accepisse: nec non per Successores suos hucusque semper vivere, causasque decernere, semperque victurum esse?* Reuera hoc non per somnium, sed à vigilantissimo Legato, & congregatis Patribus itidem vigilantissimis ita dictum est, ut is qui Jus divinum ibi agnoscere nolit, eod quod conceptis verbis id non clarè exprimitur, putidum se Cavillatorem & vanum esse somniatorem, inficiari nequeat.

XXII. Ad 2. Distinguendo Mai. Vbicumque sunt objecta & operationes distinctæ, officia quoque circa ea sunt distincta formaliter saltem in una persona, conceditur Major: realiter, ita ut in eandem personam cadere nequeant. Negatur Major. Et distincta sic Minore. Negatur consequentia. An non duo sunt munia & operationes diversæ admodum, imò sese mutuo impediens, docere Sac. Theologiam, & curare domum, uxorem, liberos &c? Si ergo objecta illa & operationes realiter planè distinctæ inferant diversa etiam officia distinctasque exigant personas, quomodo unus idemque Calvinista & Theologiæ Professor, & Domus, Uxor, Liberos Curator, Maritus, ac Pater esse potest? Non est Logica Babylonica conjungere Orbem cum Urbe, hoc est, conjungere summum Pontificatum cum Episcopo Romano in eadem persona, sed vera Logica ac recta ratio, quam dum oppugnat Amicus, prodit in se illius ignorantiam, hujus excæcationem. Cæterum con-

junctionem illam utriusque Episcopatus Orbis & Urbis non potuisse ab homine proficisci, & tot sæculis contra tot & tantos incurus perferere, ex dictis patet.

XXIII. Ad 3. in nostra & communiore sententia omnino dicendum esse, Sedem Apostolicam non posse Romæ auferri: & Episcopum Romanum, quia est Episcopus Romanus, Petro in Sede Apostolica succedere; Interim fateamur, neutrum istorum esse de fide, sed moraliter tantum certum; siquidem opinionem oppositam aliquorum Catholicorum Doctorum non censemus hæreticam, sed solum minus probabilem. Quid autem hinc Gerhardus inferre vult contra nos? An quia non est de fide, Romanum Pontificem reduplicativè seu quæ talem, ex jure divino succedere Petro, etiam de fide non erit, eundem Romanum Pontificem specificativè sumptum non esse Successorem Petri? nequaquam. Non est de fide, ut diximus, Paulum ex jure divino habuisse penulam: est tamen de fide, quod eam habuerit. Sic ergo etiam si non sit de fide, Romanum Pontificem, quia Pontifex est, ex jure divino succedere Petro: est tamen de fide, eundem reipsâ succedere, id quod habemus ex Traditione Apostolica Petri, quam nobis traditionem Concilia Generalia, Pontificum decreta, & Patrum consensus declararunt, ut itidem supra jam diximus.

XXIV. Ad 4. falsum esse subsumptum ejusdem Gerhardi. Nam licet juris aut præcepti divini non esset, ut Romanus Episcopus, quæ Romanus, in Apostolica Sede succederet Petro, sed determinationem Christus Ecclesiæ reliquisset (sicuti de factò Liberum reliquit quo modo fieret Electio, ut mox dicemus) nihilominus adhuc summus Pontificatus, qui est juris divini, ex determinatione Ecclesiæ Romano Episcopatu esset annexus, ut ex dictis constat. Quod autem in casu dato (non concessio) probari non possit, Episcopum Romanum, quæ talem, esse Petri Successorem, ex isto Capite, quod Petrus fuerit Romæ mortuus, & inibi Ecclesiam fundaverit, nihil refert; quippe sufficit, juxta determinatum Ecclesiæ modum contigisse successionem.

XXV. *Error tertius.* Romani Pontifices non fuerunt legitimi Petri Successores in universali Ecclesiæ regimine. Sed istum errorem commodius refellemus in Controversia sequenti de electione Romanorum Pontificum, quam etiam concernit. Modò sufficiat, Sectarios sibi in hoc non constare. Nam negare nec possunt nec volunt, antiquissimos illos Pontifices orthodoxos fuisse, puta, Clementem, Evaristum, Marcellum & alios, qui ad annum Christi 300. vixerunt: item Julium, Damasum, Syricum, Zosimum, Innocentium &c, qui tamen attestantur, Romanos Pontifices esse legitimos D. Petri Successores; & hæc ipsi possessione constanter frui sunt. Illorum testimonia videri possunt apud Bellarminum Lib. 2. de sum. Pontif. cap. 14.

CONTROVERSIÆ XXVII.

DE ELECTIONE SUMMI Pontificis.

NON est questio de S. Petro primo Pontifice; satis enim ex dictis constat, quod Christus eum elegerit, & inauguraverit: nec

nec etiam de electione Ministrorum Ecclesiae, de qua Bellarminus lib. r. de Cler. sed solum de Successoribus D. Petri in summo Pontificatu.

PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. **D**octrina Prima. Circa Electores Papae, & eligendi formam nihil jure divino fuit determinatum, sed ipsimet Pontifici à Christo fuit relictum, ut de modo electionis disponderet. Ita communissima Theologorum sententia. Atque hinc factum, ut ait Arriaga Tom. 5. Disp. 7. n. 46. cur ipsi Pontifices saepius mutaverint modum, & restrinxerint ad pauciores personas. Nam ab initio designatus fuit totus Clerus Romanus una cum vicinis Episcopis. Postea vero ob nimiam multitudinem contractus fuit numerus Electorum ad paucos à Clero Romano, & aliquot Episcopos cap. 3. de elect. in 6. decretat. & Clement. 2. de Elect. quos Sylvester 1. in Concilio Romano appellavit Cardinales, quasi primarios & principales viros cum ante dicerentur Regionarij, tanquam Praefecti 14. regionibus urbis Romanae, quibus postea Innocentius III. an. Christi 1244. rubrum galerum imposuit, ut hoc symbolo monerentur, etiam sanguinem pro libertate Ecclesiae profundere, cujus tunc periculum à Friderico II. Imperatore & capitali Pontificis hoste. Demum Alexander III. cap. 6. de elect. Cardinalibus hanc eligendi formam praescripsit, ut non sufficeret qualibet pluralitas suffragiorum, nisi duae tertiae conspirarent, v. g. sexaginta ex nonaginta.

II. Porro adhuc plures Electores possunt adungi vel substitui, sicuti in Concilio Constantiensi Sess. 41. ad eligendum Pontificem praeter Cardinales designati fuerunt multi alij Praelati. Nonnunquam etiam Imperatoribus concessa fuit Electio summi Pontificis vel permissiva dissimulatione Ecclesiae, quod nimirum potentia Imperatorum id sibi arrogantium retundi non posset, ut Justiniani senioris & Successorum ejus usque ad Constantium IV. vel ultronea delatione ad necessaria Ecclesiae defensionem, sicut Adrianus I. concessit Carolo M. & Leo VIII. Othoni cap. 22. & 23. Dist. 63. si tamen sint authentici Canones, quos Baronius Tom. 9. An. 794. pro spurji habet ex Sigeberto schismatico imprudenter à Gratiano conscriptis. Quidquid sit, huic juri renunciavit Ludovicus Caroli Filius, & Ordo cap. 30. & 33. dist. cit. videri potest Spondanus ad A. C. 817.

III. Sed quid si Pontifex abrogaret jam modum electionis hodiernae, & antequam novum praescriberet, moreretur? In hoc casu Card. Bellar. Lib. 1. de Cler. cap. 1. putat, electionem rursus devolutum iri ad primos Electores, id est, Clerum Romanum, & vicinum. Verum probabilis est, quod censent Suarez, Vasquez, Arriaga loc. cit. n. 48. & multi alij Theologi ad generale Concilium translatum iri, idque jure Naturae, cujus lumen ostendit, summam electionem ad summam potestatem pertinere, nisi aliter fuerit constitutum. Atqui in proposito casu defuncto Pontifice & Cardinalibus mortuis aut officio suo fungi nolentibus non est major potestas in Ecclesia, quam Concilij

Generalis. Confirmatur. Tum quia Concilium Generale immediate representat Ecclesiam, & Papa non Romani tantum Cleri, sed totius Ecclesiae est Episcopus, & quia talis supremam habet jurisdictionem. Tum quia competit cuilibet communitati in casu necessitatis sibi de Capite providere. Nec refert, quod ante Cardinalium assignationem jus eligendi Pontificis penas Clerum Romanum fuerit, ut supra dictum; cum illa ordinatio tantum fuerit lex humana abolita & nunquam reviviscens.

IV. **D**octrina Secunda. Pontifex legitime electus suam potestatem non accipit ab hominibus, sed immediate ab ipso Christo, cui persona electa praesentatur. Ita ex communi Doctorem Cajetanus Tom. 1. Opuscul. Tract. 1. Ratio clara est, quia nemo potest dare alteri, quod ipse non habet vel formaliter, vel eminenter. Sed Electores Papae nec formaliter nec eminenter habent potestatem Pontificiam. Ergo non possunt alteri conferre. Est igitur Electio ista tantum conditio, sine qua Deus potestatem Pontificis in hominem non transferret, non autem ratio, seu medium, quo Electores ipsi illam potestatem electo tribuant, perinde ut Clericus à Patronis Episcopo praesentatus non accipit jus Spirituale à Patronis, sed ab Episcopo.

V. Gravior olim fuit quaestio, num de fide sit, summum Pontificem pro tempore existentem esse verum Pontificem? Pro utraque parte steterunt magnae auctoritatis Theologi, ut videre est apud Dianam Part. 11. Tract. 2. de infallibilitate decret. Pontif. Resolut. 6. Ubi pro parte negativa imprimis assert M. Bannez in 22. D. Thom. q. 1. art. 10. dub. 2. ad 2. Cajetanum in cit. q. 1. art. 3. ad 4. & Castrum adversus haereses Lib. 1. cap. 9. Idem tenent Canus Lib. 6. de locis cap. 8. q. 1. ad 10. Malderus Disp. 5. de sum. Pontif. in solut. ad 4. & alij non pauci, quibus addi Card. Bellarminus potest de Concil. lib. 2. cap. 9. ubi ad objectionem postremam ait, naturalis solum evidentia & fide humana haberi, Concilia Nicenum & Ephesinum fuisse legitime congregata, atque hoc sufficere, ut definita ab illis habeantur de fide. Nam constat, eandem esse quaestionem (quod ad praesens institutum spectat) an sit de fide, hoc Concilium esse aut fuisse legitimum: & an sit de fide, hunc numero Pontificem esse verum Papam. In affirmativam sententiam hodie omnium fere Academicarum Doctores conspirant, cum quibus sit.

VI. **D**octrina tertia. De fide est, hunc numero Pontificem pro tempore existentem, nimirum nunc Innocentium XI. quem tota Ecclesia tanquam legitime electum agnoscit & recipit, esse verum Pontificem, & totius Ecclesiae Caput. Ita nominatim è societate nostra P. Alphonsus Salmiron, Valeria, Suarez, Hurtado de Mendoza, Tanner, Amicus, Oviedo, Arriaga, Castro-Palao Tr. 4. D. 1. num. 5. §. 2. Mart. Esparza de Fide Quaest. 29. Card. Lugo Disp. 1. de Fide Sect. 13. Card. Pallavicin. ibid. num. 14. o. & ne longior in recensendo sim, caeteri nostri Patres hodie omnes. Atque huic doctrinae magnum robur dedit Clemens VIII. qui, teste Dianà, in carceres conjecit nonnullos Doctores oppositum asserentes, eosque Romam venire iussit, ut opinionis suae rationem redderent. Probatur 1. De fide est, omnem canonicè electum, qui intrat Cathedram Apostolicam, esse verum Pontificem ac Pastorem universae Ecclesiae. Sed hic numero Pontifex Innocentius XI. qui communi Ecclesiae

ecclēsiæ consensu est acceptatus, ut Caput Ecclesiæ, est canonicè electus. Ergo &c. Major est certa perinde ac ista: de fide est, illum esse sanctum, qui legitimè est canonizatus. Prob. Min. Quidquid rota Ecclesiæ firmiter credit in rebus ad Religionem pertinentibus est verum, cum ipsa sit *columna ac firmamentum veritatis* 1. Tim. 3. v. 15. & errare non possit agnoscendo aliquem pro vero Pontifice, qui talis non est, uti revera non est, qui canonicè electus non fuit. Atqui post factam Papæ inaugurationem & promulgationem, ejusquē universalem acceptationem atque approbationem Ecclesiæ firmiter credit, illum fuisse legitimè electum. Ergo est verum &c.

VII. Probatur 2. Martinus V. Papa in Concilio Constantiensi statuit, ut hæreticis qui Ecclesiæ reconciliari vellent, primò proponeretur, *ut credant, Papam canonicè electum, qui pro tempore fuerit (expresso ejus nomine) esse Successorem Petri, & habere supremam in Ecclesia potestatem.* Ergo Pontifex supponebat, hoc esse de fide, cum ab hæretico non exigatur nisi assensus rerum ad fidem pertinentium, & quidem absolutus, non virtualiter conditionatus, nempe si iste Pontifex sit canonicè electus; talis enim consensus foret frustraneus.

VIII. Probatur 3. Quia debemus fide credere omnia definita in Concilio Tridentino v. g. & alijs Concilijs Generalibus legitimis. Ergo debemus fide credere, illud esse legitimum Concilium; sicuti quia credere debemus fide omnia contenta in Evangelio S. Marci, debemus etiam fide credere, illud esse verum & canonicum Evangelium; si enim prudenter possemus dubitare, aut formidare de legitimitate Concilij, possemus etiam dubitare vel formidare de ejusdem definitionibus. Cum ergo valor Concilij dependeat ex consensu & approbatione veri Papæ, sine qua approbatione Concilium non habet auctoritatem legitimi Concilij, consequens est, ut eadem fide credi debeat verus Pontifex, à quo Concilium legitimum habeat auctoritatem & valorem.

IX. Dicunt Adversarij. Tridentinum futurum fuisse infallibile, etiamsi non habuisset verum Pontificem, sed solum existimatum talem ab Ecclesia. Transeat hoc; non tamen futurum fuisset à parte rei legitimum; siquidem hæc diversa sunt, & plus requiritur ad hoc, quam ad illud, Dixi transeat. Nam Adversarij probare debent ex S. Scriptura, Pseudopapæ promitti illam infallibilitatem. Si itaque afferant illa testimonia, quibus jubemur Ecclesiam audire, & quibus promittitur Ecclesiæ, quod nunquam sit erratura, utpote *columna & firmamentum veritatis*: & inde colligere velint, ad divinam spectare Providentiam, ut Deus etiam Pseudopapam ita gubernet, ne inducat totam Ecclesiam in errorem. Nos meliore jure dicemus, & ex illis locis colligemus, ad providentiam Dei spectare; non permittere, ut Ecclesia tota erret circa Papam, recipiendo ut legitimum, qui ex impedimento occulto est incapax. Nam quando dicitur Matth. 16. v. 18. *super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam*, omnes Catholici faterentur, promissionem factam esse Petro & Successoribus ejus, id quod non absque violentia extenditur ab Adversarijs ad pseudosuccessorem. Tum quia putatitius Successor non est absolutè & simpliciter Successor. Tum quia hoc ipso, quod Christus promiserit; Ecclesiam suam fundandam esse supra Successores Petri, promisit etiam, se semper

de Successoribus provisorum; quis autem dicat Successorem putatitium esse opus divinæ providentiæ?

X. Probatur deniq; 4. Ecclesiæ maximè ut conjuncta suo Capiti non potest errare. Sed universa Ecclesiæ cum suo Capite tenet, Innocentium XI. esse verum Pontificem. Ergo fide divinà tenendum est, aut dicendum, Ecclesiam cum suo Capite posse errare cognoscendo pro vero Papa, qui revera non est talis. Distinguit Banez inter errorem practicum, & speculativum; illum vocat, quando secundum prudentiam erratur: hunc verò quando quis aliter de re judicat, quam sit in se; quem posteriorem concedit contingere in proposito posse, sicut, inquit, Ecclesiæ diu specularivè erravit, judicando eunuchos matrimonio habiles, donec per Sixtum V. fuerit veritatem edocta. Sed facile responso hæc refellitur; quia Ecclesiæ universalis in his, quæ proponit circa inanimatam fidei regulam, quæ est Sacra Scriptura, non solum practicè, sed etiam specularivè errare non potest. Ergo errare etiam nequit in accipienda regula fidei animata, quæ est summus Pontifex. Instantia de Eunuchis nihil probat; siquidem Ecclesiæ matrimonia Eunuchorum non judicavit vera, & ut talia, approbavit, sed solum toleravit ac permisit, donec ad judicium de illis ferendum se applicaret.

XI. Confirmatur prior nostra Doctrina solutione eorum argumentorum, quæ ab Adversarijs pro opposita sententiâ afferuntur. *Primum.* Non apparet, ex quo constare possit, hunc numero Pontificem v. g. Innocentium XI. esse verum ac legitimum Papam. Nam neque includitur in revelatione generali, neque speciatim ostendi potest, ubi & quando id revelatum fuerit. Respon. ex communi fere Theologorum sententiâ, quod hic numero Pontifex sit legitimus Pontifex, revelatum fuisse tum in hac generali propositione: *Omnis legitimè electus & promotus ad cathedram Petri est legitimus Papa: tum in illa, quod Ecclesiæ sit columna & firmamentum veritatis*, atque errare in rebus ad Religionem pertinentibus non possit. Nam in hac generali regula, inquit Card. Lugo loc. cit. num. 330. continetur, eam errare non posse in cognoscendo hoc individuum pro vero Capite, & Regula visibili fidei Catholicæ, in quo gravius & periculosius erraret, quam circa aliquod objectum fidei particulare, quod non esset fundamentum aliorum, sicut Regula visibilis est fundamentum Fidei & Ecclesiæ, quæ ideo supra Petrum & ejus Successorem fundata dicitur, ut proinde ex eo, quod Ecclesiæ hunc numero Pontificem agnoscat & acceptet tanquam Pontificem verum, certò ac sufficienter innoscat, eundem contineri in illa priori propositione, & esse legitimè electum & promotum ad Cathedram Petri.

Arriaga Disp. 7. cit. num. 52. hoc universale responsum minimè quidem rejicit, insuper tamen putat, hunc numero Papam esse legitimum Papam, specialiter etiam ac de novo revelatum fuisse Ecclesiæ. Nam DEUS, inquit, dupliciter aliquid revelat, vel propriè, loquendo exterius vel interius cum eo, cui revelat, quæ ratio ne non est necessarium, dari modò in Ecclesiæ revelationem universalem ad credendum: vel alio modo in actu exercito non permittendo, ut ille, qui

tem

rem proponit, ullo modo aberret, sed ita intellectū ejus suā providentiā disponendo dirigat, ut veritatem tangat. Hoc igitur posteriore modo vult cit. Author, Deum revelare Ecclesiæ suæ, hunc numero Pontificem esse legitimum Pontificē; quippe non permittit, ut toti Ecclesiæ aliquis proponatur indubitanter, ut verus Papa, qui reverā talis non est; id autem eum non permittere, habemus ex eo, quod promiserit, se Ecclesiæ adfuturum; quam promissionem in hoc maxime puncto præstare debet, à quo totius Ecclesiæ gubernatio & rerum credendarum declaratio dependet.

XII. Porro de eadem valida electione constat nobis inde, quod & Cardinales & Episcopi & Clerus & totum ferme Ecclesiæ Corpus illam electionem absque contradictione acceptet. Id autem, quod communiter dicitur, secluso ipso Papa, *DEUM Ecclesiæ suæ nihil revelare*, distingui debet; quando Papa jam fuit receptus tanquam verus & legitimus Pontifex, & res ab eo est decidenda, fatemur, *DEUM* tunc erga illum solum exercere illam infallibilem suam assentientiam: at verò ut ipsemet Papa recipiatur, quā talis, debet id per Ecclesiam præstare; quare dirigendo eandem, ne erret in tali electione, revelat nobis altero illo, quem diximus, modo, quis sit Papa & Caput Ecclesiæ. Unde ulterius patet, quando incipiat esse de fide, hunc numero Pontificem pro tempore electum esse verum ac legitimum Pontificem; nimirū quando tota aut fere tota multitudo conspicitur uniformiter assentiri legitimitati electionis, aut tot jam & tales assensisse, ut prudenter dubitari non possit, quin reliqui in eandem sententiam iturifint, in spectis circumstantijs, quæ in loco proximo innotescunt; nulla enim hujus articuli magis idonea propositio aut datur de facto, aut dari cogitariq; facile potest, agendo conformiter ad conditionem humanam, atque humano modo, cui sese accommodat divina providentia, ut bene P. Esparza quæst. 29. cit.

XIII. *Alterum argumentum.* Credere, hunc esse verum Pontificem, supponit, eum rite esse baptizatum; siquidem nullus, qui non est baptizatus, est capax Papatūs. Sed hoc circa prædictum Pontificem scire non possumus, cum nobis non constet, utrum baptizans intentionem habuerit baptizandi. Respon. eo ipso quod revelatum sit, hunc v. g. Innocentium XI. esse verum Pontificem, revelari etiam, cum esse baptizatum saltem implicite. Nam si Baptismus includitur tanquam pars essentialis in veritate Papatūs, ut multi volunt, erit etiam de fide ipse Baptismus, quia immediatè erit revelatus, licet confuse tanquam pars in toto. Si verò, ut probabilius judicamus, baptismus non includitur formaliter in veritate Pontificatūs, sed prærequiritur essentialiter tanquam extrinsecum aliquod connotatum, ut Deus conferat potestatem huic homini, tunc erit magis implicite revelatus, quia sequitur ex duabus propositionibus de fide; nempe quod omnis Pontifex verus sit baptizatus: Et quod hic numero homo sit verus Pontifex. Cum ergo ex Theologia Scholastica constet, objectum conclusionis, quæ infertur ex duabus præmissis revelatis, posse etiam credi immediatè de fide absque discursu ex revelatis, adeoq; ut explicatum, consequenter dicendum, baptismum hujus numero Pontificis ab Ecclesia acceptati esse de fide. Itaque concessā Majore, distinguitur Minor. Non possumus certò scire ante acceptationem

nem Ecclesiæ, concedimus; post istam acceptationem, negamus; unde tantum sequitur, hunc numero Pontificem esse baptizatum, esse legitimum Pontificem &c. non esse nobis de fide credendum absolute ante acceptationem Ecclesiæ: fecus post istam acceptationem.

XIV. Quod diximus de Baptismo, plerique Authores dictum volunt de Sacris Ordinibus. Verum Arriaga de his nihil affirmat. Nam, inquit, tota jurisdictio, in qua propriè consistit Papatūs, est independens ab Ordine Sacro. Si ergo verus Papa potest esse sine ordinibus per medium annum, cur non per totum. Si inferas. Ergo si ordinet, & absolvat Sacramentaliter, poterit errare, id quod est in magnum præjudicium Ecclesiæ. Respondet cit. Author num. 51. quoad hoc forsitan non majus fore præjudicium, quàm si alius Episcopus vel simplex Sacerdos absolvat & ordinet; quod non proflus improbabile videri potest. Nihilominus prior opinio, ut communis retinenda est; cum utiq; pluris interfit Ecclesiæ, Papam in ordinando & absolvendo errare non posse, quàm privatum Episcopum vel Sacerdotem.

XV. *Tertium argumentum.* Qui recederet à moderno Pontifice summo, esset quidem schismaticus, non verò hæreticus. Ergo non est de fide, quod ille sit legitime electus Pontifex summus; siquidem recedere ab aliquo dogmate ad fidem spectante est hæresis, & non solum schisma. Respon. cum hæresis & schisma differant ratione formalis, minimè necessum est, ut omnis schismaticus sit hæreticus; qui enim unitatem Ecclesiæ & Pontificis prælationem agnoscit, ex malitia tamen non vult illi subijci, & in hac subjectione cum reliquis Ecclesiæ membris communicare, purè schismaticus censetur; si quis tamen recederet cum errore intellectus, quo non crederet eum, quem Ecclesia pro summo Pontifice recepit, & retinet, esse verum ac legitime electum summum Pontificem, verè esset hæreticus, posito, quod propositio, de qua agimus, ad fidem pertineat. Videri potest Castro-Palao Tr. 6. D. 4. p. 5.

XVI. *Quartum & ultimum argumentum.* Per leges Ecclesiasticas irritatur electio facta cum impedimento occulto v. g. Simoniae, insufficientis numeri suffragiorum &c. Ergo sic electus erit tantum Pontifex apparens, etiamsi postmodum à tota Ecclesia acceptetur; quia juxta regulam juris, quod ab initio vitiosum est, tractu temporis non convalescit. Si dicatur, ad divinā Providentiā pertinere non permittere, fieri electionem irritam cum tali impedimento, sequitur perperam & frustra fuisse introducta illa impedimenta ad irritandam electionem, etiam quando occulta sunt. Respon. prædictas Leges nec habere, nec posse habere locum, nec intelligi oportere nisi de prima electione, per quam à Cardinalibus factam non statim evadit fide certum, quod electus sit verus Pontifex. Si igitur illa electio ex occulto impedimento ponatur irrita, succedit alia nullo jure positivo irritabilis, quam facit Ecclesia, acceptando illum hominem pro vero Pontifice; & licet hæc acceptatio proveniat ex errore præcedente, non est tamen conditionata, sed absoluta; melius quippe est, Ecclesiam habere pro vero Pontifice aliquem, qui invalidè fuerit electus, quàm ignoranter carere vero Pontifice, & eum pro tali venerari, qui reipsa non sit; ideoq; in prædicto casu penes universam Ecclesiam est potestas, providendi sibi de

Capite legitimo, suppleto omnes juris defectus, ne maneat acephola; quam potestatem eligendi penes Ecclesiam evincunt argumenta, quæ præsentis doctrina nostra adduximus; censetur autem Ecclesia illum eligere quasi secundò, quem acceptat. Cætera argumenta, quæ contra eandem doctrinam nostram obijciunt hæretici, commodius in altera parte solvemus.

XVII. *Doctrina quarta.* Summus Pontifex potestatem suam iterum potest amittere. Ita omnes Doctores, qui triplici modo fieri id posse affirmant. *Primò.* Voluntariâ summi Pontificatus renunciatione, uti definitum est à Cælestino V. sicuti constat ex ejus decreto, quod fuit insertum juri communi cap. 1. de Renunt. in 6. Ubi dicitur, posse Romanum Pontificem, maxime cum se insufficientem agnoscat ad gubernandam Ecclesiam & ad onera sustinenda, renunciare Papatui; quod decretum sanctus Pontifex suo exemplo ad perpetuam rei memoriam obsignavit An. Christi 1. 2. 94. Idem ante Cælestinum fecisse Benedictum IX. scribit Spondanus ad An. Christi 1044. Utrum autem renunciatio ista, ut suum sortiatur effectum, acceptari debeat ab Ecclesia, non satis constat. Affirmat Arriaga D. 7. num. 57. ratus, id omnino certum, quia tunc Papa non habet supra se Caput ullum. Negat probabilis Bellarmus Lib. 2. de Pontif. cap. 29. quia Christus non confert independentem ab Ecclesia Pontificatum. Ergo nec aufert. Unde patet ad rationem in oppositum; etenim Ecclesia non exerceret tunc actum potestatis supra Papam, sed solum daret consensum suum tanquam conditionem, sine qua Christus Pontificatum auferre noller.

XVIII. *Secundò.* perpetuâ amentia, si in hanc Pontifex incideret. Ita communiter Doctores, asserentes illum tunc ipso jure divino eâ potestate Pontificiâ excidere. Nam fundamentum jurisdictionis est usus rationis, ita ut perpetua amentia quoad capacitatem jurisdictionis & dignitatis morti æquivalet.

XIX. *Tertiò.* Hæresis, si Papa in hanc laberetur, & monitus non respiceret. Ita omnes Doctores, inter quos tamen non convenit, an amissio ista Pontificiâ potestatis fiat ipso facto, jureque divino, saltem si hæresis sit notiora & palam divulgata in Ecclesia: an verò solum post sententiam declaratoriam criminis. Prius tenent multi ex antiquis Theologis & Canonistis, quos sequuntur Bellarmus Lib. 2. cit. cap. 30. & Tanner Tom. 3. D. 1. §. 4. num. 174. Moventur. Tum quia sententia etiam declaratoria criminis requirit jurisdictionem, quam non habet Ecclesia in Papam. Tum quia Papa omnibus Episcopis est Superior, quomodo ergo ab istis judicari potest? Tum quia hæretici sunt vitandi ex præcepto Christi & Apostolorum. Ergo Papa obstinatè hæreticus non debet manere Caput Ecclesiæ; siquidem hoc maxime debemus non vitare, imò ad illud in præcipuis causis recurrere. Posterius probabilis asserunt Recentiores Theologi, quos refert & sequitur Arriaga Disp. 7. cit. num. 58. Probat. Tum autoritate Clementis I. qui in epist. 1. attestatur, D. Petrum docuisse, Papam hæreticum esse deponendum. Tum quia amissio Potestatis Pontificiæ est poena longè gravissima. Ergo debemus habere jus divinum expressum, ut asseramus, illam ipso facto incurri; nullum autem tale jus

ostendi potest. Quare vero similis est, prædictam poenam à Papa hæretico non incurri ante sententiam Ecclesiæ, hoc est, Episcoporum in unum congregatorum; quod universale Concilium etiam nesciente, imò reluctante Pontifice in tali casu convocari potest, idque jure divino per traditionem cognitum, ut habet communis sententia, & videtur rationi valde conforme, ut, quandoquidem post Papam ipsi sint Ecclesiæ Pastores, sint etiam in eadem causa Judices.

XX. Respon. ad 1. rationem in oppositum. In casu hæreseos Ecclesiâ habere jus supra Papam, adeoque posse eam procedere in ordine ad declarationem criminis; quantumvis ad hanc non sit necessaria jurisdictio in Reum; si enim gloriosum aliquod factum v. g. de Canonizando declarari juridicè potest absque jurisdictione in illius Authorem, cur non etiam facinus hæreseos de Papa hæretico? Inferes. Ergo quando crimen adeo est clarum & publicum, ut nullâ planè majori indigeat probatione, eo ipso jam censetur depositus absque novo concilio. Negamus illatum; esto enim ad publicationem & probationem delicti id non sit necessarium, quia tamen id ipsum authenticè Ecclesiæ toti proponi debet, necessarium erit illud Concilium, ut juridicè res fiat, & ut declaratur, veniendum esse ad electionem. Quod si ante Concilium constet ejus emendatio, deponi non potest, nisi lapsus fuerit; tunc enim præsumitur, hæreticus jure deponendus. Ad 2. Ecclesiam se tunc non habere, nisi ut declaratricem criminis: Christum verò ei Pontifici immediate auferre jurisdictionem; sicuti è contrariò supra diximus in Electione, Ecclesiam se habere ut designatricem personæ: Christum autem ut datorem jurisdictionis. Ad 3. hæreticum omnino esse vitandum, si rite de ejus crimine constat; quod in præsentem casu asserimus non antè fieri, quam Ecclesiæ judicium accedat. Et certe si Papa ob hæresin statim dignitate suâ excideret, gravia in Ecclesia sequerentur incommoda; quippe semper dubitare possemus, an non esset occultus hæreticus; quod si hæresis externa sit, non tamen sufficienter probata, eadem se ingerent incommoda; quia perinde se haberet, ac si occulta foret. Quare cum supponamus, hæresin non esse destructivam dignitatis Pontificiæ, etiamsi illa externa sit, reipsâ hanc non tollit, sed solum facit, ut Papa ob talem hæresin judicari possit.

XXI. Quod diximus de hæresi, tenendum suo modo etiam de schismate, quando ex pluribus simul electis discerni non potest, quisnam sit legitime electus; tunc enim propter bonum publicum Ecclesiæ quilibet electus tenetur suo juri renunciare: & si nolit, potest deponi, sicuti An. Christi 11. 77. in Concilio Venetijs sub Alexanoro III. habito exauctoratus est Joannes quidam Abbas sturmenfis, quem Calistum III. dixerunt. Videri potest Spondanus prædicto anno, ubi num. 9. ait, eundem fuisse degradatum, & ab ipso Imperatore Friderico atque ab omnibus Principibus Ecclesiasticis & Sæcularibus dejectum ac reprobatum. De reliquo nulla in tali schismate incommoda sequuntur, etsi aliqui Papæ existimato adhererent. Nam sublato schismate univertim legitime electo Pontifici, atque ab hoc petunt confirmationem earum gratiarum, quas ab apparente Papa acceperunt, ac proinde eo ipso jam cessat periculum

lum irreparabilis damni, & falsorum dogmatum. Hinc Pontifices, qui postea sine contradictione legitimi reperiuntur, solent vel invalidare, vel revadidare, quæ sub schismate acta fuere, prout in Ecclesiæ bonum expedire iudicant. Sic Martinus V. fecit, postquam tandem legitime, & sine controversia electus ac cognitus fuit Papa, deletor prorsus schismate.

XXII. *Doctrina quinta.* Extra casum hæresis seu apostasiæ nec ob ulla quantumvis gravia & notoria crimina, nec ob alia incommoda vel calamitates privari Papa suâ potestate unquam potest. Ita contra Glossam cap. si Papa, dist. 40. communiter Doctores. Ratio est, ut ne occasio arripiatur accusandi & expellendi Pontificem iniuste è Sede sua: Item schismata faciendi &c. Hinc Axioma ex cap. Nemo. qu. 3. *Prima Sedes à nemine iudicatur.* Videri potest Bellarminus Lib. 2. cit. à cap. 27. Item Lib. de Clericis cap. 9. ubi quærit, an Papa designare sibi possit Successorem. De qua etiam quæstione agunt Suarez Tom. de fide Disput. 10. Sect. 4. Amicus ibid. D. 6. num. 205. Arriaga Tom. 5. Disp. 7. num. 47. & alij, qui consulti possunt; ad propositum nostrum quæstio ista nihil utilitatis habet.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

XXIII. *Error primus.* Ex Romanis Pontificibus nullum fuisse legitimum Petri Successorem. Ita communiter omnes hæretici, quorum argumenta edacervatim proponunt Joan. Gerhardus Libri 2. Parte 1. à fol. 468. Molinæus Lib. 3. c. 3. à fol. 312. Amesius Tom. 1. à fol. 159. & alij Sectarij, quæ omnia ad ista quatergemina redigi possunt, *Primum* desumitur ex autoritate Historicorum Platinae, Martini Poloni, & Urspergensis, qui testantur, Romano Pontifici Primatum non à Christo, sed ab Imperatoribus; & nominatim ab impio Phoca fuisse concessum.

XXIV. *Secundum* depromitur ex Concilijs & Patribus, qui Primatum Romani Episcopi non agnoverunt, imò nec sibi arrogare ausi fuerunt; quod, inquit Adversarij, aperte constat 1. ex Concilio Chalcedonenfi, ubi Cyprianus & alij Episcopi congregati litteris ad Papam scriptis eum non Patrem, aut Pastorem, sed Fratrem appellarunt, tanquam sibi parem. 2. in Concilio Carthaginensi VI. prohibita sunt appellationes ad Romanum Pontificem. Ergo non est agnitus pro supremo Iudice; nam, ut Calvinus Lib. 4. Instit. cap. 7. §. 9. scribit, summum imperium apud eum esse constat, ad cuius tribunal provocatur. 3. Polycrates Episcopus Asiaticus & Irenæus Victorij Papæ restiterunt, cum Episcopos Asiaticos excommunicaret. 4. S. Hieronymus epist. 85. ad Evagrium scribit: Ubique fuerit Episcopus sive Romæ sive Constantinopoli, ejusdem meriti, ejusdem etiam est Sacerdotij. Ergo omnes Episcopos pares agnovit, & nullum altero Superiorem. 5. Cyprianus lib. 1. epist. 5. desperatos & perditos vocat, qui putant, minorem autoritatem esse Episcoporum in Africa constitutorum, quam Romani sint Episcopi. Idem asserit, neminem esse dicendum Episcopum

Episcoporum, nullum Episcopum ab alio iudicandum, sed à solo Christo. Ergo non existimavit Episcopus Romano Pontifici esse subjectos.

XXV. *Tertium* arripitur ex vita & moribus Pontificum Romanorum, ex quibus, ut ajunt hæretici, multi fuerunt nomine Papæ indigni, utpote Magi, Sagi, hæretici, adulteri, homicidæ, simoniaci &c. à Sylvestro II. ad Gregorium VII. fuerunt quintecim Papæ palam pro Magis habiti, ut multi historici testantur, quibus addi potest D. Antonius P. 2. hist. tit. 16. cap. 1. §. 18. idipsum de Sylvestro scribens. Formosus I. fuit homo factiosus. Bonifacius VI. nefarius. Sergius III. nefandus. Ioannes XI. Sergij ex Marozzia scorto Filius turpissimus. Joannes XII. impurissimus, qui etiam deprehensus in adulterio interijt. Et alij sceleratissimi, ut Genebrardus in chronolog. fol. 540. in hæc verba scribat: *per annos fere 150. Pontifices circiter 50. à Joanne fil. VIII. qui Nicolao & Adriano sanctissimis licet Pontificibus successit, ad Leonem IX. usq. (qui primus à DEO vocatus velut alter Aron antiquam Pontificum integritatem in Sedem Apostolicam revocavit) à virtute Majorum prorsus defecerunt, apostatici, Apostatici potius, quam Apostolici.* Testatur idem Author, aliquos Simoniaci in Sedem Papalem evasisse, alios in eandem intrufos fuisse. Quomodo ergo omnes Pontifices fuerunt legitimi Petri Successores?

XXVI. *Quantum* & ultimum argumentum deducitur ex rationibus, quibus (ex opinione Sectariorum) vel falsis vel ridiculis Pontifices non potuerunt probare Primatum suum. v. g. 1. in Concilio VI. Carthaginensi tres Pontifices Zozimus, Bonifacius, & Cælestinus pro suo Pontificatu summo allegarunt quemdam canonem Concilij Niceni, quem Episcopi Africanani in nullo libro reperire potuerunt; ut proinde fictus esse debeat. 2. in Concilio Florentino Eugenius IV. pro suo Patu protulit postumas litteras Josephi Patriarchæ Constantinopolitani jam Florentiæ mortui, quas moribundus & tremulus scripserit. Quis autem credat, hominem morti vicinum & tremulum scribere potuisse? 3. Anacletus Papa cap. 2. Dist. 22. ait, Petros concessum, ut Cephas, hoc est, Caput esset, & Primatum teneret Apostolatûs, insinuans, quod Glossa exprimit, nomen Cephas sumptum à Græco κεφαλή Caput, cum sit vox Syriaca non Caput sed petram significans, interprete Joanne Evangelistâ cap. 1. v. 42. Innocentius III. cap. 6. de Majoratu & obed. ineptissimè probat, Pontificem esse supra Imperatorem, eò quod fecerit Deus duo luminaria Solem & Lunam, id est, Pontificem & Imperatorem, & illum esse majorem isto, sicut Sol major est Luna. Bonifacius VIII. Extrau. Unam Sanctam, eod. tit. probat, Pontificem habere duplicem jurisdictionem, temporalem & Spiritualem, quia Apostoli Luc. 22. v. 20. dixerunt Christo: *Ecce duo gladij hic.* Ibidem probat, Pontificem esse supremum & universalem Judicem; quia Paulus, 1. Cor. 2. v. 15. ait: *Spiritualis iudicat omnia: & ipse à nemine iudicatur;* quasi Solus Pontifex sit Spirituális. Ibidem probat, unum esse Caput totius Ecclesiæ, quia Genesis 1. v. 1. dicitur Deus omnia in principio creasse, non in principijs.

XXVII. Errorem istum maximum unanimiter rejiciunt Sac. Concilia & Patres, qui de Successione Pontificum scripserunt. Ex Concilijs Florentium Græcis & Latinis Patribus consentientibus

tibus ira statuit: *Definimus Sanctam Apostolicam Sedem, & ipsum Pontificem Romanum Successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesie Caput, & omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi & gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro Jesu Christo potestatem traditam esse.* Ex Patribus D. Augustinus in epist. 102. non minus efficaciter, quam breviter ait: *in Romana Ecclesia semper Apostolica Cathedra viguit Principatus.* Unde etiam in Constitut. Novella 131. Justiniani secundum Sacrarum Synodorum decreta Primatum Sanctissimo veteris Romæ Episcopo tribuitur. Argumenta Sectariorum omnia ruinosa sunt & suis destituta fundamentis. Nec malè hæreticos in conatu tollendi Papatûs araneis similes dixeris; tum quod araneorum instar fatigent atque eviscerent se in opus nullius prorsus roboris & valoris. Tum quod ex flosculis pulchris non nisi venenum exfugant, ut in solutione omnium, quæ affertur, apparebit. Itaque.

XXVIII. Respond. I. *Ad argumentum primum ab auctoritate desumptum.* Si propriè neque per Apostolicam quidem Auctoritatem aut Conciliorum statuta Romanus Pontifex est totius Ecclesie Caput & Pastor seu Primas, multò minùs Auctoritate Imperatoriâ talis esse potest, cum Imperatorum non sit; alijs conferre Ecclesiasticam & Spiritualem potestatem, cujus ipsi exortes sunt. Certè Pontificem non habere suam illam supremam potestatem ab alio, quam à quo D. Petrus ipsam habuit: neque D. Petrum aliunde habuisse, quam à Christo, & vi institutionis hujus, luculenter demonstrari ex Sac. Scriptura, Patribus, & totius Antiquitatis historia satis & abunde constat ex ijs, quæ supra diximus. Historia, quâ unicè argumentum nititur, ab hæreticis corrupta fuit. Nam Phocas Imperator Primatum Papæ non dedit, sed solum defendit contra Cyrillum Patriarcham Constantinopolitanum, qui Bonifacio Pontifici Romano se æquare & titulum Universalis Episcopi usurpare moliebatur. videatur Cardinalis Baronius in Annal. Ecclesiast. ad An. Christi 606. Constat etiam apertè ex jure civili L. 8. C. de sum. Trinit. & Fid. Cath. Ex Novella 131. Collat. 9. tit. 14. c. 2. vetustos Imperatores ante Phocam, ut Valentinianum, Gratianum, Theodosium jam agnovisse Primatum Pontificis. Habebat quoque in Tom. 2. Conciliorum Epistola præfixa Concilio Chalcedonensi ejusdem Valentiniani III. Imperatoris in Oriente (qui 170. annis Phocam præcessit) ad Theodosium II. Imperatorem Occidentis, in qua pro re præsentis sic præclare loquitur: *Fidem à nostris Majoribus traditam debemus cum omni competente devotione defendere, & dignitatem propriæ Venerationis B. Apostolo Petro intemeratam & in nostris temporibus conservare, quatenus Beatissimus Romanæ Civitatis Episcopus, cui Principatum Sacerdotij semper omnis Antiquitas contulit, locum habeat, ac facultatem, de fide & Sacerdotibus judicare.* In quibus duo singulariter notanda. Primum. quod Romanæ Civitatis Episcopo Principatum Sacerdotij super omnes Antiquitas contulerit, id est, tota retro Antiquitas, non ipse, quem dixi, Valentinianus III. nec alij ante eum Christiani Cæsares. Alterum. quod Dignitas B. Petri Apostoli vocetur *dignitas propriæ venerationis*; quæ scil. B. Petro in suis Successoribus & nulli alteri tribuitur. Quid potest inveniri illustrius pro legitima Successione D. Petri in Prin-

cipatu Romani Pontificis, eoque antiquissimo ante tempora ipsius etiam Valentiniani, quæ sunt tempora illa sincera etiam Sectarijs nostris & casta nigraque in Fide? Hinc igitur non solum refelluntur Magdeburgenses, qui Cent. 5. scripserunt Primatum Ecclesie fuisse Romano Episcopatu annexum auctoritate Phocæ; sed etiam Wiclef & Huss, qui apud Waldensem Lib. 2. doct. Fidei cap. 7. id factum dixerunt decreto Constantini M. Item Lutherus & Calvinus, quorum ille Lib. de potest. Papæ id ipsum statuto Constantini IV: iste verò Lib. 4. Instit. cap. 6. decreto Pipini & Caroli M. Imperatorum affinxit. Quia hi omnes sunt posteriores tempore, neque dare possunt spiritualem potestatem, quam ipsi non habent. Videri potest P. Adamus Tanner in Dioptra Fidei. Lib. 3. cap. 6. ubi hoc Adversariorum argumentum pluribus refutat.

XXIX. Respon. II. *ad argumentum secundum ex Concilijs & Patribus depromptum.* Longè alienissimum esse à veritate, quod olim nec Concilia, nec Patres agnovissent Primatum Romani Episcopi: & quod ipsi Romani Pontifices arrogare eundem sibi non fuerint ausi. Nam contrarium apertissime ostendit Bellarminus Lib. 2. de Pontifice à cap. 12. adductis quàm plurimis eorum luculentis testimonijs, quod ipsum & nos hactenus fecimus, & satis etiam constat ex recens cit. constitutione Novell. 131. collect. 9. tit. 14. cap. 2. Ubi Justinianus: *sancimus, inquit, secundum earum Sacrarum scil. quatuor Synodorum Nicænæ, Constantinopolitanæ, Ephesinæ primæ, & Chalcedonenfis, de quibus immediate loquebatur Imperator definitiones, sanctissimum Senioris Romæ Papam primum esse omnium Sacerdotum: Beatissimum autem Archiepiscopum Constantinopolitanum novæ Romæ secundum habere locum post Sanctam Apostolicam Senioris Romæ Sedem, alijs autem omnibus Sedibus præponitur.* Ad 1. instantiam dicimus, Fratris appellationem nihil officere Primatu, etenim omnes Fideles se mutuo Fratres vocabant tanquam ejusdem Fidei consortes. Ut ergo Episcopi Chalcedonenses profiterentur, se in fide cum Romano Pontifice conspirare, Fratrem eum nominarunt; interim alijs modis ejus eminentiam protestantes; quia scil. primum locum dederunt Legatis Pontificijs, & Leonem I. tunc Pontificem honorificentissimis titulis affecerunt, ut constat ex Act. 1. & 2. ubi Aëtius Episcopus Nicopolis eundem S. Leonem Dominum nostrum & sanctissimum Papam vocat; *quoniam inquit, nunc Domini nostri & Sanctissimi Papæ lecta est Epistola, ut refert Bellarm. cap. 31.* Ad 2. Patres ibi collocatos non prohibuisse appellationem ad Romanum Pontificem, ut falso citant Hæretici, sed supplicibus literis deprecatos rigidiorè modum procedendi per armatum militem, ut ostendit Cardinal Baronius & hujus Compendiator Spondanus circa annum Christi 419. Cæterum quod omnes Episcopi totius Orbis, qui in judicijs Ecclesiasticis sentiunt se gravatos, ab Episcopis & synodis Provincialibus possint appellare, & confugere ad Romanum Pontificem tanquam ad Superiorem Judicem, cui reliqui omnes Episcopi subjecti esse debeant, & à cujus sententia ulterius appellare non liceat, patet apertissime ex Concilio Sardicensi can. 4. ubi decernitur; *si Episcopus aliquis deponatur, & iste contra hoc judicium Synodi Provincialis ad Papam appellet, ne alius in locum illius desti-*

natus ordinetur, nisi causa depositionis in iudicio Romani Episcopi fuerit determinata & approbata. Quare calumnia est Calvinii, quando ait, appellationes fuisse derisivas; imò exceptas cum honore, & efficaces fuisse, ostendit Baronius loc. cit. & suo exemplo docet D. Athanasius vir Catholicissimus, sanctissimus, & doctissimus, qui ab Episcopis orientalibus appellavit ad Julium Romanum Pontificem post annum Christi 341. & ab eodem fuit restitutus.

XXX. Quid ad hæc Amelius, Gerhardus, Molinæus, Heilbrunner, & alij Sectarij? tria nequicquam tentant effugia. Primum. Appellationes Ecclesiasticas non esse ad jurisdictionem Superiorem, sed ad communem fraterni auxilij communicationem. Scilicet ignoravit tota Antiquitas, quid sit Appellatio Ecclesiastica? Profecto Athanasius Patriarcha Alexandrinus injustè ab Orientalibus damnatus apud Julium Papam non qualemcumq; auxilij communicationem petijt, sed tanquam apud superiore iudicem iustam defensionem requisivit. Secundum. Concilium Sardicense, teste Bellarmino, non esse ex integro approbatum. Trecenti Patres hujus Concilij confirmarunt Fidem Catholicam; unde ista Synodus dicitur pars vel appendix I. Nicæni concilij: & quidquid illi Patres statuerunt, fuit universim receptum: atque inter ista etiam jus appellandi ad Romanum Pontificem habetur approbatum. Præter prædictos Patres fuerunt quidem septuaginta sex alij Episcopi Orientales, qui fidem Arianam subscripserunt; sed contra reliquorum decreta nihil potuerunt. Tertium Episcopi Orientales in Concilio Antiocheno restiterunt Julio Pontifici, quod Athanasium ad se fugientem, qui in Synodo orientali fuerat damnatus, absolvisset, & Sedi suæ restituisset, causantes, plus istum auctoritatis usurpare, quam debebat. Ergo ex hoc facto nihil probatur. Hoc effugio magis implicant se Adversarij. Nam inter illos Episcopos, qui Julio Papæ restiterunt, erant 36. Ariani, ut refert Baronius & ex isto Spondanus ad an. Christi 341. num. 3: contra verò Athanasius, qui pro Julio stetit, vir erat, ut diximus, fide Catholicâ, sanctitate vitæ, & doctrinæ excellentia præstantissimus. Huic ergo argumento: Episcopi Orientales, qui magnâ ex parte erant hæretici, restiterunt Papæ. Ergo non habebant illum pro Capite Ecclesiæ. Huic, inquam, argumento nos opponimus istud altetum: Athanasius vir Catholicissimus, integerrimus, & doctissimus ab Episcopis orientalibus appellavit ad Pontificem Romanum tanquam Superiorem Iudicem. Ergo agnovit illum pro Iudice Superiore. Utra harum argumentationum præstat? Adversarij credunt Episcopis hæreticis: Nos Patriarchæ Catholico, eiq; Sanctissimo juxta ac doctissimo ad stipulamur. Nec silentio prætereundum, prædictos Episcopos hæreticos postmodum errorem suum agnoscere & detestantes Romam venisse, & supplices à Julio Papæ veniam poposcisse, ut testatur ipse Athanasius in Apolog. contra Arianos, & refert Spondanus ad annum Christi 351. num. 7.

XXXI. Ad 3. instantiam ex Patribus dicimus. Polycratem & Irenæum nunquam denegasse Victori Papæ potestatem excommunicandi Episcopos Asiæ, sed putaverunt, causam hujus excommunicationis ferendæ non fuisse sufficientem, ideòque se illi opposuerunt, ut bene notat Baronius ad annum Christi 198. id., quod non derogat potestati & jurisdictioni. Ad 4. S. Hieronymum

non æquasse Episcopos Papæ, quatenus est Pastor universalis, sed quatenus est Episcopus Romanus; erravit tamen, si putavit discrimen Sacerdotum & Episcoporum solo jure humano fuisse introductum, quæ opinio damnata est in Tridentino Sess. 23. cap. 4. ut pluribus declarat Vasquez 3. Part. Disp. 230. cap. 1. Verum ab errore eundem excusat Greg. de Valent. Tom. 4. Disp. 9. Q. 1. pun. 2. nos de hoc agemus suo loco. Ad 5. denique instantiam dicimus. Cypriani priora verba ab hæreticis corrupta fuisse, qui fraudulenter asseruerunt illa verba, quàm Romani; cum Auctor plus dicere non voluerit, nisi auctoritatem Episcoporum Africanorum non esse minorem, quàm ut causas dijudicare valeant: posteriora verba Cypriani in Concilio Carthaginensi III. prolata non esse curanda. Tum quia illud Concilium fuit illegitimum. Tum quia Cyprianus eo tempore versabatur in errore circa Sacramentum Baptismi, quasi ab hæreticis valde administrari non posset, ideòque conversi denovo baptizandi forent. Quopropter à Stephano Papa oppositum ex Apostolica traditione tenente objurgatus ex ira & concitatione Firmiliani Episcopi Cæsareæ Cappadociæ calidius æquo locutus est, & peccavit, inquit S. Augustinus lib. 3. contra Donatist. cap. 18. quod non voluerit Stephano Papæ obedire. Sed hunc suum errorem postea correxit, & effuso sanguine eluit, teste eodem Augustin epist. 48. ad Vicentium. Videri etiam potest Bellarm. lib. 2. de Pontif. c. 25.

XXXII. Respon. 3. ad argumentum. ex vita & moribus Summorum Pontificum arreptum, quemadmodum tam Christiani universim, quàm speciatim non pauci pijsissimi Imperatores alijsque Principes indigna quædam iudicia à Tacito, Luciano, Zosimo, Rudilio, Eunapio & alijs ethnicis Scripторibus ferre debent, ita etiam de Summis Pontificibus scandalosa multa fuerunt scripta, cum inter istos & Germanicos Imperatores graves ac longæ essent controversiæ, ipsæque populus Christianus in duas fere partes se divideret, quarum una Ecclesiæ Romanæ, altera Cæsaribus adhæseret. Unde adhærentes Imperatoribus vitam morisque Paparum varijs profcindere calumnijs laborarunt, quales nominatim fuerunt Aventinus, Balæus, Benno Pseudo-Cardinalis, Wierus, Thummus, & forsitan etiam Platina, Sigebertus & alij Cæsareæ Dignitatis ad vitium utque studiosi. In specie loquendo.

XXXIII. Sylvester II. immeritò Magiæ incusatur, ut demonstrat Onuphrius Panvinius in addit. ad Platinam. Et Cardinalis Baronius A. C. 999. ex Ditmaro lib. 6. Helgald in vita Roberti Regis Francorum, Glabro, Lamberto, Hermannino, Mariano Scoto, qui omnes circa annum Christi 1000. viventes Sylvestrum II. tum ob doctrinam laudant, tum in suis chronologijs, tanquam verum Papam post Gregorium V. collocant, nullâ magiæ diabolicæ mentione factâ. Unde Sigebertus cæterique tempore longè posteriores fidem hæc in re non merentur. Christophorus Lehman in Chron. Spirensi lib. 4. cap. 15. Sylvestrum II. adjungit Testibus Veritatis, asserens ex Theodorico de Niem, illum ob eximiam eruditionem à Romanis odio habitum, dictumque fuisse, quod Magus esset. Taceo Sebastianum Franck Lutheranium, qui relationem istam de Sylvestro pro fabula habet, cui consentit Kranzius lib. 5. metrop. fol.

fol. 298. D. Antoninus bonâ fide procedens re non-
dum expensâ à Bennone & Martino Polono se-
duci se permittit.

XXXIV. Quindecim Summos Pontifices à Syl-
vestro II. usque ad Gregorium VII. quos omnes
magiæ hæretici arguunt, præclare defenderunt
Caspar Lechner in Thummio Prædicante, & Lau-
rentius Forer in Manuali Lutherano Part. 3. cap. 2.
præcipue verò in castigatione Apologiæ Thum-
mianæ à cap. 2. usque ad 7. ubi miseram Thum-
mij Apologiam luculenter ad nihilum redigit, &
Naucleri allegationem contra hos 15. Papas lon-
gè falsissimam ostendit. Odio turgens Cardina-
lis Benno contra Romanos Pontifices, item Calvi-
nista Balæus non sunt testes idonei, sicuti Forer
loc. cit. peculiariter ostendit.

XXXV. Formosum 1. scribit Baronius A. C.
891. laudatissimum Papam extitisse tum religio-
ne tum morum integritate atque doctrinâ, idque
ex testimonio Luitprandi, Anastasij Bibliotheca-
rij, & Hincmarî Rhemensis Archiepiscopi. Et
quamvis A. C. 802. Widonem, & sequenti anno
ejus Filium Lambertum: anno autem 806. Ar-
nulphum Romanos Imperatores coronaverit, id
tamen prædicti Authores vitio non vertunt, nec
circo eum reprehendunt, cum non nisi ex gravi-
bus & justis causis illud fecerit. Bonifacius VI. in-
ter Papas numerari non debet, sicuti etiam Baro-
nius A. C. 897. eundem arcet. Sergium III. & hu-
jus Filium illegitimum Joan. XI. item Joannem
XII. & hujuscemodi sceleratos Pontifices non ex-
cusamus, attamen affirmamus, eos Dignitati &
Potestati Sedis Apostolicæ tam parùm præjudica-
re potuisse, quam impius Alcimus, Annas, Cai-
phas & hujuscemodi Judæorum Summi Pontifices
Cathedræ Moysis præjudicaverint: item quàm
parùm Officium potestatem & auctoritatem im-
minuerint scelera multa, quæ non pauci ex Re-
gibus & Principibus perpetrarunt, concessio ipsis
regno & principatu abusi. Hisce flagitiosis Papis
minimè est annumerandus Gregorius VII. qui
Pontifex fuit Apostolicæ vitæ & Zeli pro DEO
& Ecclesia, qui etiam inter tot ac tanta negotia a-
deo contemplatione excelluit, ut & mentis exta-
sim sæpe pateretur, & cœlestibus revelationibus
non rarò visitaretur, ut de ipso scribit Baronius ad
annum Christi 1073. Et quamvis detestabiles ejus
inimici turpem illi notam inurere machinaren-
tur, statim tamen iste rumor ob viri Sanctitatem
& innocentiam ubique notam evanuit, ut tradit
idem Author ad An. Christi 874.

XXXVI. Genebrardus Adversarijs non patro-
cinatur. Nam 1. de quindecim Papis, qui fuerint
Magi, nullam penitus facit mentionem; imò aper-
tè A. C. 1002. fabulosa censer omnia, quæ de Syl-
vestri II. magia, morte, diaboli percussione spar-
guntur, addens ex Blondo dec. 2. lib. 3. quod nullus
Scriptorum affirmare dubitet, Sylvestrum II. lit-
teris moribusque ornatissimum fuisse. 2. aliqui
ex dictis Pontificibus primùm post Leonem IX.
vivere, qui vi verborum Genebrardi antiquam
Pontificum integritatem in Sedem Apostolicam
revocavit, nempe Victor II. Stephanus X. Nico-
laus II. Alexander II. omnes à Genebrardo lau-
datissimi Papæ. Ubi ergo sunt 15. magi usque
ad Gregorium VII? 3. quod attinet ad Papas per
150. tantopere infamatos ipse Genebrardus ali-
quos excipit, nimirum Martinum II. Agapetum
II. Joannem XVII. Sergium IV. Gregorium VI.

Adhæc XIV. Papæ inter illos brevissimo tempo-
re rexerunt Ecclesiam, scil. per paucos solum dies
vel menses, aut vix medium annum, quorum vita
mala èdè minùs est exaggeranda, quòd extitit bre-
vior. 4. Causa hujus mali non erat penes Sedem
Apostolicam, sed aliunde proveniebat: *tanti sceleris*,
inquit Genebrardus, *rei sunt Germani Imperatores*,
qui ita premebant Ecclesiam, ut sublati Canonici ele-
ctionibus pro libidine & sæpius pecuniâ & pactis summo-
darent Pontifices, & recusaret electus Pontificatum sus-
cipere, priusquam ab illis confirmaretur. Aliqui etiam vi-
aut largitione Sedem occupabant. 5. Dato, non con-
cesso, quod prædicti Papæ non tantùm scelerati,
sed etiam magi fuerint, id tamen publicè no-
tum non fuit, nec unquam aliquid hujuscemodi
Ecclesiæ publicè exhibuerunt, aut in Sede Petri
docuerunt.

XXXVII. Ex intrusis aut Simoniacè ingressis
Pontificibus quidam fuerunt repulsi: aliqui autem
subinde retenti ex consensu Cleri, & veluti legiti-
mi Pontifices postea consuetis ritibus electi, atque
ab Ecclesia acceptati; eò quod satius videretur,
illos tolerari, retinerique, quàm Ecclesiam tristi
schismate conficendi, ut supra jam diximus. An
ex summis Pontificibus aliqui in hæresin fuerint
aliquando lapsi, & formales hæretici extiterint,
in sequenti Controversia videbimus, & infra etiam
jam fabulam illam stolidam de Joanne Bapista,
cui nullus vir sapiens fidem habet, ex instituto
refutabimus. Solum nunc addendum, quando
Genebrardus Papas flagitiosos vocat apotacticos
& Apostaticos, illum non loqui de fide, quasi à
Fide Catholica apostataverint: Sed solum de mo-
ribus, cum à vita & virtutibus Apostolicis disces-
serint.

XXXVIII. Respon. 4. ad argumentum ex
ridiculis, ut ajunt hæretici, rationibus deductum
pro Primatu Pontificio. 1. quoad historiam.
Negamus cum Bellarmino alijsque Catholicis Do-
ctoribus, allegationem Nicæni Concilij fuisse fi-
ctitiam, quantumvis Episcopi Africani citatum
canonem in suis exemplaribus reperire non po-
tuerint, quia habebant corruptos ab Arianis & Do-
natistis hæreticis codices, ut ostendit Card. Baro-
nius A. C. 347. & 419. Potuit etiam nomine Con-
cilij Nicæni intelligi Sardicense, quod tanquam
appendix Concilij Nicæni habebatur, quia huic
ijdem Episcopi interfuerunt; in Concilio autem
Sardicensi expressè habetur ille canon à Pontifi-
ce allegatus, ut ibidem ostendit Batonius. Vide-
ri etiam potest summa Conciliorum per Barthol.
Carranzam collecta, ubi ad finem adijciuntur ca-
nones Concilij Nicæni nuper reperti. 2. quoad
Concilium Florentinum & Eugenium IV. Papam.
Quis non credat, quod quotidiana experientia do-
cet, ægros tremulis manibus scribere etiam posse?
Immeritò igitur prolatio litterarum Patriarchæ
Constantinopolitani jam Florentiæ defuncti in
fraudis suspicionem vocatur; cum præsertim mul-
ti Græci adfuerint, quibus nota erat manus Pa-
triarchæ, nec tamen contra Epistolam replicarint;
certè Pontifex nullam habuit causam fingendi li-
teras, cum Concilium jam prius stetisset pro Pri-
matu Romani Pontificis. Litteræ citatæ Josephi
Patriarchæ Constantinopolitani videri possunt
in eadem summa Carranzæ fol. mihi 455. 3. quo-
ad loca Sacræ Scripturæ. Pontifices hæc adduce-
re voluerunt non in litterali, sed allegorico sen-
su, nec tanquam suæ causæ fundamenta, sed or-
namen-

hamenta & flosculos. Nominatim Anaclerus nullo modo insinuavit, quod nomen Cephas à Græco *πετρά* derivetur, sed quod in re idem significet metaphora Petræ & Capitis, quidquid dicat Glossator. Bonifacio etiam aperta fit injuria, quasi ex primis verbis Genes. in principio creavit DEUS calum & terram, &c. voluerit evincere Pontificem esse Caput totius mundi; ex textu enim totius Epistolæ apparet, longè aliam mentem ipsius fuisse; nam cum ex Unitate DEI intulisset, unicuique esse DEI Vicarium, sibi met objecit, Manichæos ponere duos DEOS creatores mundi, quibus opponit cit. verba Genes. quod non in principijs, sed in principio, id est, ab uno principio fit mundus creatus. Ecce igitur quàm iniquè hæretici calumniantur ipsos Pontifices, dum ajunt, illos falsis & absurdis argumentis suam probasse potestatem. Nihil falsi, nihil ridiculi ostendunt: Sectarij sese solum ex mendacijs & injurijs compositos esse demonstrant.

XXXIX. *Error secundus est.* Innocentium XI. Papam pro tempore existentem non esse verum & legitimum Pontificem ac Petri Successorem. Ita ijdem hæretici, qui duplici maxime instantiâ evincere hoc nituntur. Primam sumunt à Formoso, qui habitus pro vero & legitimo Pontifice obiit A. C. 896. die 14. Decemb. postquam sexennio Ecclesiæ præfuit ab eadem acceptatus: & tamen hunc Antecessorem suum Stephanus VII. (dictus sextus) damnavit tanquam illegitimum Pontificem, ejusq; acta reprobat. Alterum suggerit schisma in Ecclesia XXIII. & omnium gravissimum simul & longissimum, scilicet per annos 36. usque ad Conciliûm Constantiense. Nam postquam Gregorius XI. Avenione Romam Sede translata in Urbe mortem obiit, in ejus locum à Cardinalibus electus fuit Urbanus VI. duabus tertijs suffragiorum in hunc conspirantibus; unde electio ejusdem tanquam legitima fuit promulgata, & per Orbem Christianum acceptata. Verum non multis post diebus aliqui Cardinales electioni huic reclamârunt, & in Galliam fugientes elegerunt Clementem VII. cui post annos 14. substitutus est Petrus de Luna Aragonius, qui obstinatissimo animo dignitatis umbraticæ Benedictus XIII. dici voluit. Interea temporis Urbano VI. successit Innocentius VII. & Gregorius XII. volensq; Conciliûm Pisanû huic schismati Mederi creavit Alexandrum V. unde tres simul Pontifices fuerunt Gregorius XII. Benedictus XIII. & Alexander V. cui paulò post Joannes XXIII. successit, vivente adhuc Gregorio. Ergo tunc electionem Urbani nec univèrsa proposuit Ecclesia, nec credi ea veluti legitima debuit, fuitq; successio in Sede Petri manifestè interrupta. Ergo Papa pro tempore existens Innocentius XI. non est verus ac legitimus Pontifex ac Petri Successor. His duabus instantijs Gerhardus lib. 1. fol. 283. addit istud argumentum. De quo rationabiliter dubitari potest, an sit in Ecclesiâ, de eo etiam rationabiliter dubitari potest, an sit verus & legitimus Papa. Atqui de quolibet sic dubitari potest. Ergo &c. Ratio Majoris est, quia legitimus Papa est Ecclesiæ Caput; qui autem non est in Ecclesiâ quomodo Caput hujus esse potest? Ratio Minoris est, quia de ejus sanctitate non constat, de illo sciri nequit, quod sit in Ecclesiâ cap. cum aliquis caus. 24. q. 3. cum aliquis exit à veritate, à timore DEI, à fide à charitate, exit de castris Ecclesiæ, etiamsi per Episcopi vocem minime abijciatur.

XL. Errori huic rejciendo occasionem dedit prædictum schisma; hoc enim sublato, Martinus V. Papa in Bulla relata in Concilio Constantiensi decretum illud fecit, cujus menimi supra scilicet ab Hæreticis Ecclesiæ Romanæ reconciliari volentibus primum omnium exigatur, ut credant, Papam qui expresso ejus nomine, pro tempore fuerit, esse canonicè electum, ac Successorem Petri, & in Ecclesiâ Dei supremam habere potestatem. Advertit Palao Tr. 4. D. 1. pun. 5. §. 2. num. 11. aliud esse dicere: non est de fide, Innocentium XI. esse verum Pontificem, aliud: eundem non esse verum Pontificem; etenim hæc posterior propositio est temeraria, scandalosa, & planè hæretica: illam priorem non vult gravius censere propter aliquot celebres Theologos, qui defenderunt eam. Nos licet teneamus, de fide esse, Innocentium XI. verum esse Pontificem ac Petri Successorem, non tamen hic agimus contra illos Theologos, hæreticos eos incusando; quia revelatio hujus veritatis eisdem vel non est sufficienter proposita; vel pertinaciter ei non resistunt; parati eandem credere, quandocumque per Ecclesiam sufficienter propositam intellexerint. Itaque Sectariorum solum errorem rejicimus, qui non solum in communi omnes Pontifices Romanos habent pro illegitimis: Sed hunc etiam pro tempore existentem Papam Innocentium XI. negant, verum esse Pontificem legitimum Petri Successorem, quantumvis ab Ecclesiâ tanquam canonicè electus & acceptatus fuerit. Instantiâ allatæ necquicquam Adversarijs patrocinantur.

XLI. Respon. 1. ad primam instantiam de Formoso & Stephano. Erravit quidem Stephanus, sed in quaestione facti, non juris, & malo exemplo, non falsa doctrina. Ita Bellarminus Tom. 1. Lib. 4. de Pontif. cap. 12. & communiter alij Catholici Doctores. Historia ex Card. Baronio Tom. 10. Annal. Ecclesiast. A. C. 897. sic se habet. Stephanus VII. verus Papa Antecessoris sui Formosi etiam legitimi Pontificis cadaver ex gravi odio exhumavit, atque Pontificalibus indutum vestimentis in Sedem Romani Papatus collocavit, sic illum Papam allocutus: *Cum esses Portuensis Episcopus, cur ambitionis Spiritu Romanam Universalem Sedem occupasti?* quibus dictis mox eundem sacratis exutum vestibus digitisque tribus abscessis, quibus benedicere consueverat, in tyberin præcipitari jussit; cunctosque, quos ipse ordinaverat, gradu proprio dejectos iterum ordinavit. Deinde collectâ Synodo factum hoc suum ibi approbavit; quam postea approbationem Joannes IX. rescidit, ignique tradidit, ac penitus abolevit. In hac re nefanda non contigit error in fide, inquit rectè Baronius loc. cit. sed violenta tyrannis in facto; quia Stephanus non voluit definire, Formosum non fuisse legitimum Pontificem, postquam fuit acceptatus ab Ecclesiâ, sed irâ æstuans voluit ipsum, quem gravi odio persecutus fuerat, hæc ratione inhonorare, infamare, ac sceleris sui quasi justî facti habere approbatores. Cæterum Formosum, cum à Piscatoribus inventus, & in Ecclesiam D. Petri deportatus esset, à Sacris Imaginibus in loculo suo positum venerabiliter salutarum fuisse, scribit Luitprandus Lib. 1. cap. 8. apud eundem Baronium; ex quo facile conijci potest, quantæ Authoritatis, quantæ religionis ac Sanctitatis Pontifex fuerit Formosus.

XLII. Respon. 2. ad secundam instantiam de schismate. Quando statim & manifestè constat de valore

gha
er
ologia
mica
XI

valore electionis per acceptationem communem, quantumvis postea reclamant aliqui, illam semel factam & acceptatam revocare omnes etiam Electores simul non possunt. Atque ita accidit Electio Urbani VI. cujus juridicam electionem nec numerus illorum Cardinalium nim. 12. Gallorum iusto minor: nec tarda nimiseorundem reclamatio invalidare potuit; qui proinde verus absque ullo dubio fuit Pontifex (quem idcirco S. Catharina Senensis magnopere propugnavit) omnesque ejus Successores semper habiti fuerunt ut omnino legitimi à majore & saniore Ecclesie parte usque ad tempora Gregorij XII. Benedicti XIII. & Joannis XXIII. qui omnes tres se dicebant Papas, suosque singuli habebant adherentes; unde tunc apud prudentes etiam iudicioque sanos aliqua fuit enata dubitatio, maxime inter Gregorium XII. & Joannem XXIII. (Benedicto enim nullum probabile jus patrociniabatur) quis illorum alteri praeferret, ambo enim diversis vicibus à majore Cardinalium parte electi fuerunt schismatis tollendi causa; unde uterque in Papatum praeferre jus posse videbatur.

XLIII. In hoc casu & tristissimo Ecclesie statu sentiendum, non fuisse de fide, quis illorum verus ac legitimus esset Papa. Ita post alios expressè Arriaga Tom. 5. D. 7. sect. 8. num. 54. Nam ut electio Papae de fide sit, & talis habeatur, non sufficit, eam proponi & acceptari ab Ecclesia quomodocunque, sed debet proponi & acceptari absque contradictione probabili, hoc est, notabili virorum prudentum, ac fundamentis apparentibus nixa; alioquin licitum est, cuilibet suspendere assensum, usque dum melius constet, quis verum jus ad Papatum habeat; quod si pauci solum electioni se opponant, qui male contenti esse possunt, electionem non infringunt, nec hujus certitudinem tollunt. Atqui tempore Gregorij XII. & Joannis XXIII. talis probabilis contradictio extitit, cum ex utriusque parte starent multi viri prudentes apparentibus fundamentis nixi, & Res Christiana distraheretur, ut historici testantur. Ergo neutrius electio fuit tunc de fide, nec ut talis est habita. Confirmatur. Ex communi omnium Doctorum sententia. Dubius Papa reverà in facie Ecclesie non est verus Papa, utpote cui Ecclesia obedire non tenetur, sed jure ad novam electionem procedi potest. Cum ergo praedicti Pontifices fuerint dubij Pontifices, atque idcirco Ecclesia in Concilio Constantiensi ad novam electionem processerit, ut apud omnes constat, non potuit esse de fide, vel Gregorium, vel Joannem esse tunc verum Papam. Ex quo tamen non inferitur, perinde tunc fuisse, ac si omnes Papae non-vero adhaesissent. Nam licet multi adhaeserint ei, qui reversa non fuit Papa, non tamen tota Ecclesia fuit decepta, sed solummodo pars; illi etiam, qui invincibiliter falluntur, sublato dein Schismate vero Pontifici uniti confirmationem earum gratiarum, quae ab apparente acceperant, de novo petunt & accipiunt, ac proinde periculum irreparabilis damni & falsorum dogmatum hocipso cessat. Hinc Martinus V. in Concilio Constantiensi legitime tandem ac sine contradictione electus sublato profus schismate ex ijs, quae sub Schismate facta fuerunt, quaedam revalidavit, quaedam invalidavit, prout ad bonum Ecclesie & tollendam in ea omnem dubitandi rationem expedire videbatur.

XLIV. Resp. 3. argumentum Gerhardi potius rifum, quam responsum mereri. Nà 1. falsum est, eum non esse in Ecclesia, de quo rationabiliter dubitari potest, num sit in Ecclesia; quia solus fidei defectus, non aliorum dubitatio excludit ex Ecclesia. 2. falsum est, de quolibet Papa rationabiliter dubitari posse, an sit in Ecclesia; quia haec est mera haereticorum Calumnia. 3. falsum est, illum non esse legitimum Papam, de quo rationabiliter dubitari potest, an sit in Ecclesia; quia aliorum sola dubitatio non extrudit Papam ex possessione legitimi sui Pontificatus. 4. falsum est, ullum Papam reipsa fuisse haereticum; quia hoc non probatur, sed mere supponitur à Sectarijs. 5. falsum est, cap. cum aliquis cit. dicere, eum non esse in Ecclesia, aut de illo certo (moraliter) sciri non posse, quod sit in Ecclesia, de cujus interiore sanctitate non constat; quia moralis certitudo de aliquo haberi potest, quod habeat fidem, non autem, quod habeat gratiam. 6. falsum est, Papam haereticum (dando, non concedendo hunc casum) non posse esse Caput Ecclesie; quia ut aliquis sit praecise Caput (metaphorice sumptum) Ecclesie, non necessario requiritur Fides, ut patet in Christo, qui fuit Caput Ecclesie, & tamen non habuit fidem. Ecce unicuique argumentum haeretici Magistri tot scatenens fallitibus!

XLV. Ut igitur toti huic sanè difficili materiae de successoribus D. Petri finem imponamus, concludimus hoc argumento. Quicumque propter gregem unum visibilem perpetuo conservandum ac gubernandum sapienter instituit unum Pastorem visibilem, etiam instituit Pastorem perpetuum. Atqui Christus Matth. 16. Luc. 12. Joan. 21. propter Ovile suum visibile usque ad consummationem saeculi conservandum ac gubernandum instituit Pastorem unum visibilem ordinarium. Ergo instituit ipsdem verbis Christus Pastorem perpetuum. Sed non est perpetuus in persona Petri. Ergo in ejus Successoribus. Ergo, cum heterodoxi nullum alium omnibus retro annis poterint ostendere, quam Romanum Pontificem suo quemvis tempore, ipsdem fateri coguntur, quod Christus sicuti universae Ecclesiae lux hunc Innocentium XI. pro hoc praesenti: ita ex caeteris omnibus pro suo etiam quemlibet alio tempore Pontificem summum constituerit. Hoc, inquam, argumento concludimus, & omnia, quae hactenus dicta fuere, confirmamus, quae in concussa stabunt, donec Adversarij fundamentum istud evertant, id quod nullo unquam tempore fiet. Simili modo concludendi utitur S. Justinus Martyr, quem allegant, & sequuntur DD. à Wahlenburch Tom. 2. fol. 7.

CONTROVERS. XXVIII.

DE INFALLIBILITATE
Summi Pontificis.

Ingens & singularis est haec Romani Pontificis prerogativa. Sed eadem non minus Ecclesiae Dei est necessaria & jucunda; quomodo enim absque illa infallibilitate roborabitur?

bitur? quomodo etiam ob eandem non minus lætabitur D. Petrus in suo Successore adhuc conspiciens viventem, & audiens eundem loquentem verba Spiritu sancto, atque indubitata veritate plenissima.

PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

Summus Pontifex duobus modis docere ac doceri aliquid potest. 1. Ut Pontifex seu Persona publica. 2. Ut privata persona. Prior modo docere dicitur, quando aliquid docet, ut Rector supremus, ac Caput totius Ecclesiae, adeoque ut publica persona, idque toti Ecclesiae credendum vel servandum proponit, quod dum facit, dicunt Theologi, eum docere ex Cathedra. Posteriore modo docere dicitur, quando non docet, ut summus Rector, hoc est, ex officio & auctoritate Pontificia, sed præ se, ut Concionator, Doctor, Scholasticus, Commentator in Scripturam vel aliter. Papam ut publicam personam errare non posse in definiendis rebus fidei, certum est dogma Doctorum Catholicorum, ut infra videbimus. Eundem etiam, ut privata est persona, errare non posse, tenet Cardinal. Bellarminus Lib. 4. de Pontif. cap. 6. Suárez Disp. 7. Albertus Pighius, Tirinus in indice Controversiarum contr. 6. in fine, & nonnulli. Sed oppositum tenent Cajetan. opus. de Auctorit. Papæ & Concil. à. c. 7. Canus Lib. 6. de Locis Theolog. cap. Ult. Turrianus Disput. 16. dub. 1. Bannez 22. quæst. 1. art. 10. Malderus ibid. dub. 7. & plerique alij.

II. *Doctrina prima.* Summus Pontifex, ut privata persona errare, & in hæresin etiam incidere potest. Ita planè communiot Theologorum Catholicorum apud Tannerum Tom. 3. Quæst. 4. num. 236. Probatur. 1. Quia nulla extat promissio, Papam ut privatam personam ab omni errore tuendi, quod enim Petro dictum est, Luc. 22. v. 32. *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat Fides tua*, triplicem patitur limitationem. 1. ut tantum intelligatur de finali perseverantia in fide, cum Petrus prius defecerit. 2. videtur tantum privilegium personæ Petri concessit ad Successores non simpliciter extendendum. 3. Si ad Successores extendatur, intelligendum de illis, quatenus sunt Pontifices & publicæ personæ, non privætæ. Probatur. 2. auctoritate Summorum Pontificum, qui dixerunt, *Pontificem hæreticum esse deponendum*. Ergo suppositurunt, illum posse fieri hæreticum, & consequenter errare, ut tradit Bonifacius Martyr cap. si Papa. Dist. 40. Anacletus epist. 3. Innocentius III. in sermone 2. de consecratione Papæ. Concilium Constantiense Sess. 11. Idem supponunt D. Hieron. epist. ad Patriarcham, & alij Patres, idemq; fuse probat Bannez loc. cit. Certè Marcellinus Papa tormentorum horrore territus fidem negavit, & Idolis Sacrificavit; qui si etiam exterius tantum simulasset Idololatriam, mendacium tamen gravemq; errorem commisset. Probatur 3. Non magis Pontifex confirmatur in fide, ut persona privata, quàm in spe & charitate. Ergo sicuti amittere potest spem & charitatem, ita potest ut privata persona amittere fidem.

III. Obijciunt Adversarij 1. Pontifex, quæ publica persona, semper verum docet, ut statim dicitur. Ergo etiam ut privata semper rectè sentit. Prob. consequentia; quia sine violentia fieri non potest, ut quis aliter sentiat, aliter loquatur; hæc enim violentia non est consentanea, suavissimæ Dei Providentiæ. Respon. imprimis Papam non omnia docere, quæ in animo sentit, adeoque non probari inde omnimodam infallibilitatem etiam in cogitationibus vel in privatis sermonibus aut loquelis. Deinde negamus consequentiam, & ejus probationis assumptum; quia non repugnat divinæ suavitati homines refractarios ad officium compellere juxta illud Luc. 14. v. 23. *compelle intrare*.

IV. Instant. Si DEUS cogeret Papam clam hæreticum ad docendam veritatem contra suam mentem, tunc cogeret illum mentiri, consequens est blasphemum. Ergo & Antec. Mai. patet ex definitione mendacij, quod est contra mentem loqui. Min. probatur; quia mendacium est intrinsecè malum, ut docet ex communi aliorum Theologorum Cardinal. Lug. D. 4. de fid. Sess. 4. Si ergo DEUS cogeret ad mentiendum; cogeret ad peccandum, quod repugnat ejus sanctitati. Respon. negando sequelam Mai. DEUM scilicet cogere talem Pontificem clam hæreticum mentiri; quamvis enim iste loqueretur contra privatam mentem, non tamen mentiretur; quia in tali casu non loqueretur ex mente suâ, sed Spiritus Sancti; sicuti is, qui in comœdia personam alicujus idololatræ sustinet & idola veneratur, non mentitur, licet aliter sentiat, siquidem tunc non loquitur ex sua, sed aliena persona. Adhæc in tali casu DEUS non impelleret Papam ad loquendum contra suam privatam intentionem; sed potius ut eodem modo sentiat ac loquatur; quod si in uno obediat, non in altero, & sic mentiat, ipsius culpa erit, non impulsus divini.

V. Obijciunt 2. Non est quisquam hætenus repertus Pontificum, de quo manifestè constaret, quod in hæresin ipse fuerit lapsus. Ergo piè ac probabiliter credi potest, non posse Romanum Pontificem etiam ut privatam personam fieri absolute hæreticum. Confirmatur auctoritate Theodoret in epistola ad Renarum presbyterum Romanum, ubi ait, *Sanctam istam Sedem tenere gubernacula regendarum cunctis orbis Ecclesiarum, tum propter alia, tum quia semper hæretici sævoris experts mansit, nec ullus unquam; qui contrarium sentiret, in ea sedet*. Respon. Antecedens esse valde dubium. Nam Ferdin. de Castro-Palao Tom. 1. Traç. 4. D. 1. pun. 5. §. 2. num. 7. & alij Authores nostræ sententiæ enumerant plures ex Pontificibus in hæresin lapsos. De Victore tradit Eusebius Lib. 5. hist. Eccles. cap. penult. De Marcellino thus Idolis offeferente supra diximus. De Liberio id affirmat Hieronymus in Chronicis. De Anastasio refert Gratianus cap. Anastasius 19. distinctæ. De Honorio denique constat ex epist. Adriani relata in VIII. Synodo. Act. 7. Et ex epist. Agathonis relata in VI. Synodo Act. 4. Verùm quidquid sit de facto, utrum hi vel illi Pontifices in formalem hæresin inciderint, quod quidem nunquam evenisse fuse ostendere laborant Cardinalis Bellarminus loc. cit. à cap. 8. usque ad 14. Franc. Sylvius in Controvers. Fidei Lib. 4. Quæst. 2. art. 12. M. Gravina Tom. 4. Controv. P. 2. art. 5. & nonnulli alij. eò quod manifestè non constet, ullum hætenus Pontificem

tificem in hæresin incidisse; inde non sequitur, nec ullum labi in hæresin potuisse, quod unice asserimus; aliàs certè Concilia illa Generalia accusationem de hæresi omnino explosissent, utpote à Pontifice prorsus alienam; unde nec Theodoretus nobis adversatur, qui de eo solum loquitur, quod de facto contigit, & forsàn nec de persona priuata Pontificis, sed de publica, quæ sedere in Sede Sancta dicitur.

VI. Cæterùm ipsimet etiam Adversarij non omnimodè volunt, Papam ut privatam personam esse infallibilem. Nam Bellarminus limitat ajens errare, & pertinacem esse non posse circa ea, quæ sunt semel definita ab Ecclesia tanquam de fide: at verò bene posse errare pertinaciter circa ea, quæ nondum sunt definita, & sic hallucinatum esse Joannem XXII. putando animas justorum non visuras DEUM ante ultimum judicij diem. M. Gravina & alij distinguunt, & ajunt, personam privatam Pontificis labi in errore posse, si physicè spectetur: non autem si moraliter consideretur suavi DEI providentiâ suffulta.

VII. *Doctrina secunda.* Summus Pontifex, ut persona publica ex cathedra aliquid definiens, totiquè Ecclesiæ id proponens tanquam fide divinâ credendum, errare non potest. Ita cum S. Thoma 2. 2. q. 1. art. 10. & q. 11. art. 2. cæteri Theologi ita communiter, ut Bellarminus Lib. 4. de Pontif. cap. 3. censet contrarium hæresi proximum, & M. Dominicus Bannez asserat, id tanquam Apostolicam traditionem tenendum; P. Arriaga verò de Fide D. 9. num. 17. absolute vocat veritatem Catholicam, ac divinâ fide tenendam, id quod etiam alij jure meritissimo faciunt. Probat 1. ex verbis Christi ad Petrum Luc. 22. v. 32. *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat Fides tua, & tu aliquando conversus confirma Fratres tuos;* quibus verbis duo privilegia data sunt Petro, & Successoribus propter orationem Christi; primum, ut non deficiat fides Petri; alterum, ut confirmet Fratres in fide; quæ duo præstare planè non posset Petrus vel ejus Successores, si errare in definiendo possent; quia tunc deficeret fides Petri in Ecclesia, nec posset fratres in fide confirmare, ut latè prosequuntur citati Authores, & in hunc sensum verba illa Scripturæ explicant Sancti Patres apud Bellarminum loc. cit. Atque hinc Concilia Generalia Romano Pontifici sua semper decreta subjecerunt, uti de Florentino testatur, & ejus verba refert Tanner de fide D. 1. §. 4. num. 251. non utique propter autoritatem ejus humanam, quæ absque dubio major serat in tot Episcopis congregatis. Ergo propter sublimiorem & divinam. In Concilio etiam Lateranensi sub Leone X. damnatur articulus 24. Lutheri, in quo dixerat, *non esse peccatum, neq; hæresin, sentire contrarium ejus, quod Papa vel major pars Ecclesiæ sentit, aut tanquam de fide credendum definit.*

VIII Probat 3. Si Pontifex definiens ex Cathedra docere posset falsum aliquod dogma, tum posset in hoc decipere Ecclesiam; quippe hæc tenetur audire suum Rectorem ac Doctorem vi officij sui procedentem juxta illud ad Heb. 13. v. 17. *obedite Præpositis vestris, & subjacete illis.* Atqui Ecclesia non potest decipi circa veritatem rerum fidei, cum sit *columna veritatis*; Tim. 3. v. 15. Probat 4. Si Pontifex, ut Rector Ecclesiæ, doceret falsam fidem, tunc ut Rector summus non foret

Petra firma, supra quam est Ecclesia ædificata; firma quippe dici nequit, quæ vento doctrinæ etiam falsæ circumfertur, cum hæc circumlatio inconstantiam indicet.

IX. Confirmatur utraque ista probatio. Ecclesia est firmum ædificium, utpote contra quam non sint prævalituræ portæ inferi Matth. 16. v. 18. Ergo à fundamento, quod est Pontifex, non poterit quoad Fidei dogmata decipi; aut certè non erit firmum ædificium, cum stabilitas ejus ædificij etiam à fide vera dependeat; non enim fundamentum à domo, sed domus à fundamento accipit firmitatem, & hoc modo locum illum Matthæi exposuerunt omnes Patres, atque hinc deduxerunt, Petrû, & consequenter alios Pontifices non posse errare. In memoriam redeant verba Theodreti supra §. VI. adducta, ubi videtur sic argumenari. Sedes illa suprema, quæ tenet gubernacula regendarum cuncti Orbis Ecclesiarum, semper hæretici fætoris expers fuit, atque esse debuit, ne univ. versus Orbis in errorem induceretur, & portæ inferi contra eam prævalerent Matthæi cit. Ergo is, qui ejus Sedes est quasi Os & Lingua, & à quo illa suam infallibilis veritatis prærogativam nanciscitur, erroris quoque in Essatis suis & Fidei Decretis expers est, atque esse debet ad ea, quæ diximus, mala præcavenda. Atqui talis est solus Romanus Pontifex per legitimam electionem super Sedem illam supremam collocatus. Ergo infallibilis est in rebus Fidei Catholicæ decernendis.

X. Probat 5. doctrina nostra. Pontifex habet assistentiam Spiritus S. ne erret prædicto modo; & hoc est necessarium propter infallibilitatem Ecclesiæ in credendo, si enim is prædicto modo posset errare, tota Ecclesia in errorem fidei induceretur, cum suo Rectori quæ tali credere teneatur, ut recens diximus. Confirmatur 1. Autoritate Patrum, quorum plura testimonia videri possunt apud Becanum Lib. 9. de Republ. Ecclesiast. cap. 4. v. 24. Sufficiat nobis unus & alter ex illis. S. Hieronymus epist. ad Demetriadem sic habet: *illud te pio charitatis affectu promouendam puto, ut S. Innocentij, qui Apostolica Sedis, & Anastasij Romani Pontificis Successor & Filius est, teneas fidem, nec peregrinam, quantumvis tibi prudens & callida videatur, recipias.* Maximianus Patriarcha Constantinopolitanus in epist. ad Orientales sic scribit: *Omnes fines terra, qui Dominum sincere receperunt, & ubique terrarum Catholici veram fidem consistentes in potestatem Romanorum Pontificum tanquam in Solem respiciunt; & ex ipso lumen Catholica & Apostolica Fidei recipiunt.* Confirmatur 2. ex suavi DEI Providentiâ, ad quam pertinet, unamquamque creaturam gubernare juxta modum naturæ illius, specialiter autem hominem. Quemadmodum ergo Deus non confert gratiam invisibilem homini, nisi per Sacramenta sensibilia infallibiliter (nisi aliquod ipsis obstaculum ponatur) operantia, ut cum S. Thoma docent Theologi in 3. Patre, ita congruum est, ut homo non perveniat ad fidem invisibilem regulariter & de lege ordinaria, nisi per regulam vivam, visibilem & infallibilem. Confirmatur 3. experientiâ. Quia tot sæculis nullus Pontifex in publica fidei ac morum doctrina unquam erravit, ut constat ex historijs, & infra magis constabit, ubi errores hæreticorum objectos diluimus. Ut vis & universalitas hujus allatæ doctrinæ nostræ distinctius & clarius appareat, singul-

singillatim quædam ex ea statuenda & firmanda sunt, in quibus nonnulli oppositum tenere fuerunt ausi, vel in id propendere visi.

XI. *Doctrina tertia.* Summus Pontifex in Cathedra aliquid fide divinâ tenendum decernens errare non potest, etiam si id seorsim & extra Concilium Generale faciat. Ita communis Catholicorum Doctorum, cujus tamen oppositum quidam Veteres Theologi tenuerunt, & hodie absolute rueri volunt Jansenistæ aliqui Afferentes, Pontificem extra Concilium non posse determinare aliquid circa fidem, ut sic eludant Innocentij X. Bullam, in qua Romæ pridie calendæ Junij 1653. contra Corhelium Jansenium Episcopum Ipresensem quinque propositiones damnavit tanquam hæreticas, de quibus singulis nos suo loco. Videri interea possunt apud DD. à Walenburch Tom. 2. fol. 163. Probatum Catholica nostra doctrina Tum ex dictis universim pro doctrina priorè. Tum quia Concilia Provincialia eo ipso quod à Papa approbantur, censentur esse infallibilis veritatis, ut ostenditur ex Milevirano, Arausicano & alijs. Ergo etiam sine Concilio Generali erit infallibilis. Tum quia si in Ecclesia talis est infallibilitas, qualem offendimus, eam in Capite esse oportet, quod est Summus Pontifex. Nam cum frequentes oriuntur difficultates circa fidem, non expedit, eas à sola Ecclesia simul congregata decidi posse; quippe ea convocatio tam frequens moraliter foret impossibilis. Ergo debuit esse una persona, quæ absque difficultate saltem per litteras conveniri possit, qualis est summus Pontifex, qui alioquin supremam in totam Ecclesiam habet jurisdictionem. Tum quia nunquam legimus, hanc potestatem datam esse Pontifici dependentem à Concilio: Sed potius è converso datam esse Concilio dependentem à Papa; unde auctoritate hujus habet infallibilitatem, & ante confirmationem illius eandem infallibilitatem non habet. Ergo Pontifex per se habet illam. Plura pro hac doctrina dicemus infra. Nec inferri inde licet, sic frustra fore Concilia Generalia; cum enim ad desistendum aliquid præcedere debeat inquisitio & consultatio, etsi hanc Pontifex extra Concilium nunquam sit omitturus, nihilominus ea optime fiet in Concilio Generali per diligentiam Patrum totius Ecclesiæ congregatorum, qui etiam, si fortassis dissentiant, melius sic uniuntur, & instruuntur, quid in suis singuli diocesibus fide divinâ credendum proponant. Sed quam censuram meretur sententia opposita? Malderus & Wiggers duo Lovanienses Doctores in 2.2. D. Thomæ q. 10. art. 1. eam solum censuerunt improbabilem. Stapletonus Controu. 3. q. 4. & alij erroneam. Bellarminus Lib. 4. de Pontifice cap. 3. Tanner & plures alij addunt, esse hæresin proximam. Verum juxta datam doctrinam ex communi Doctorum sensu est prorsus pro hæretica habenda. Pro quo sic argumentari possumus. Definitiones Conciliorum non sunt habendæ tanquam de fide, nisi prius confirmentur à Papa. Ergo si Papa potest errare in suis definitionibus, sequitur definitiones Conciliorum etiam confirmatorum non esse de fide. Consequens est hæreticum. Ergo & antecedens. Videri potest Diana P. 11. Tr. 2. de infallibilitate decret. Sum. Pontif. Ref. 4.

XII. *Doctrina quarta.* Pontifex, quæ talis, in generalibus morum præceptis aut decretis præter-

tim ad salutem necessarijs, quando toti Ecclesiæ aliquid proponitur, aut præscribitur, non potest errare quoad substantiam actûs, ita ut mala pro bonis probet ac præcipiat, & bona pro malis damnet ac prohibeat. Ita ex communi aliorum Theologorum Card. Bellarminus Lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 5. & videtur Catholica hæc doctrina definita à Martino V. in Concilio Constantiensi Generali in Bulla, quæ incipit: *Inser cunctas pastoralis cura*, & habetur post ultimam Concilij Sessionem, ubi Papa tanquam hæreticos puniri vult, qui id, quod à Concilio in fauorem Fidei & animarum salutem fuit statutum, veluti contrarium fidei ac moribus bonis pertinaciter tenent. Probatum doctrina nostra. Tum quia Ecclesia sic erraret contra fidem, est quippe de fide, quod virtutes sint bonæ, & vitia mala. Si autem Pontifex quæ talis posset præcipere vitia tanquam bona, teneretur Ecclesia credere, vitia esse bona; obligatur quippe facere, quod Pontifex, ut summum Caput & Rector præcipit. Tum quia Ecclesia etiam à præceptis dicitur Sancta. Ergo sicut contra ejus infallibilitatem fieri non potest, ut Pontifex aliquid falsi definiat, ita etiam propter ejusdem Ecclesiæ sanctitatem fieri non poterit, ut ei mala tanquam bona consulantur, aut præcipiantur. Tum quia alias DEUS in necessarijs ad salutem desset suæ Ecclesiæ, quod est contra promissionem Christi Joan. 16. v. 13. *cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*; quæ promissio ad minimum intelligenda est de veritate necessaria ad salutem. Diximus, quoad substantiam. Nam in modo obligationis, leges nimis multiplicando, vel nimis difficilia imperando Pontificem errare posse, tradit Suarez de Legib. Lib. 6. cap. 27. num. 7. & alij Doctores communiter. Atque ipsa praxis confirmat. Nam ideo non omnes Leges Pontificum ubique recipiuntur, vel receptæ per desuetudinem rursus abolentur, tanquam humanæ infirmitati juxta præsentem statum & mores consideratæ nimis onerosæ.

XIII. *Doctrina quinta.* Summi Pontificis auctoritas est infallibilis in approbatione Religionum, hoc est, errare non potest, ut aliquod Institutum approbet tanquam Sanctum, pium, & Evangelicæ perfectioni consentaneum, quod malum in se sit quoad substantiam. Ita communis Catholicorum Doctorum, è quibus Diana Part. 11. in append. ad Tract. 2. de Infallibil. decret. Pontif. Ref. 14. doctrinam hæc absolute dicit esse de fide, & bene. Tum quia in Concil. Constantiensi Sess. 8. damnantur Wicleff & Huss, qui Instituta Religionum aiebant fuisse à diabolo introducta; hic autem error damnatur prædicto loco, quod multæ Religionis ab Apostolica Sede essent approbatæ tanquam conformes Evangelicæ perfectioni. Tum quia in Trident. Sess. 25. can. 16. ubi agitur de Religionibus, institutum istarum vocatur pium, quod etiam postea Sedes Apostolica approbavit. Tum quia approbatio Religionum est magna pars materiæ moralis. Ergo quoad hoc non potest Pontifex aliquid vitæ institutum tanquam pium & bonum Ecclesiæ proponere, quod in se malum sit, aut certe turpiter deciperetur. Diximus quoad substantiam. Nam in circumstantijs Pontificem errare posse; v. g. nimis multos ordines approbando; aut non debito tempore &c. Concedunt Suarez, Bannez, Tanner, alij, quia scilicet, talis error

potius factum, quam jus concernit. Quamvis nec hoc quidem dicere aufert Granado Tract. 7. D. 5. num. 2. & absolute neget Diana loc. cit. idque non male. Nam constat, Pontificem habere assistentiam Spiritus S. in his, quæ pertinent ad regimen Ecclesiæ, & consequenter circa approbationem ordinum Religiosorum. Ergo non potest errare in circumstantiis aut multitudine, cum nulla institui possit absque Sedis Apostolicæ consensu. Si igitur Sedes Apostolica approbet, habemus intentum.

XIV. Non obstat 1. Innocentius III. c. nimia tit. de Relig. domibus advertens, nimiam Religionum multitudinem valde Ecclesiæ Christi in commodare. Non enim advertit hoc Pontifex in Religionibus approbatis, sed prohibere solum vult, ne quis inveniatur novam Religionem, & absque Papæ approbatione in Ecclesiam inducere audeat, ut sic incommoditas illa præcaveatur; quomodo enim alias post prohibitionem istam novæ Religionis v. g. Francisci de Paula, Societatis JESU surgere potuissent? Non obstat 2. aliquas Religiones à principio approbatas postea fuisse extinctas. Id namque factum non est, quasi aliquando tales Religionis fuerint malæ, sed quod postmodum visum sit, non amplius esse illas ad ædificationem Ecclesiæ; quia vel tales Religiosi institutum non servabant, vel postea tale institutum mutato Ecclesiæ statui inutile reddebatur. Unde discrimen est inter Religionis approbationem, & inter Canonizationem ab Ecclesia semel factam, quæ est irrevocabilis. Nam Sanctus per canonizationem non primum fit Sanctus, estque ista canonizatio solum sententia definitiva ac declarativa Sanctitatis in concreto: At verò approbatio Religionum non approbat rectitudinem in concreto, nec confirmat Religiosos in gratia, sed remanent essentialiter defectibiles, atque idcirco possunt omnes & singuli deficere, aut mutari queunt circumstantiæ suis approbationis, loci, temporis &c. Ut proinde in conveniens non censetur, ob justas causas ordinem aliquem Religiosum extinguere ac suppressi. Hinc parum caute scripsit M. Melchior Canus Lib. 5. Locor. c. 5. simpliciter & absolute affirmans, Pontificem in Religionibus approbandis errare posse. Nam nisi verba hæc in alium sensum, ac præferunt, explicentur, revera nec fidei, nec pietati consona censentur, ut ex dictis constat.

XV. *Doctrina sexta.* Papa non potest errare in canonizatione Sanctorum, aliquem scilicet proponendo toti Ecclesiæ colendum, ut Sanctum, qui non sit talis. Ita Catholici Doctores, è quibus Arriaga Tom. 3. de Fide D. 9. n. 28. disertè post Valentiam, Turrianum & alios affirmat, hoc non solum esse certum, sed etiam de fide. Probat, Tum quia Pontifices, ut præter alios advertit Suarez de Fide D. 5. Sect. 8. num. 8. in ipsa canonizatione decernunt ac definiunt, Canonizatum tanquam ab omnibus publicè ac privatim colendum, ipsamque infallibilitatem suam, & Spiritus Sancti assistentiam expressè ponunt, v. g. in Bulla Sixti IV: *considerantes; quod in hac Canonizatione (Sancti Bonaventuræ) non permittat nos DEUS errare.* Et paulò post: *hunc Sanctum esse, fideliter, firmiterque teneri debere decernimus.* Et Bonifacius IX. de S. Brigitta: *decernimus, declaramus, definimus sive pronunciamus, S. Brigittam Sanctam esse, atque ab universa Eccle-*

sia venerari debere. Similia verba reperiuntur in Bulla pro Canonizatione Sanctorum Hiacyntii, Raymundi, Caroli Borromæi, Ignatii, Xaverij & aliorum. Tum quia is, quem Papa canonizat, habetur ab omnibus Fidelibus tanquam Sanctus; si autem fieri posset, ut talis non esset Beatus, sed damnatus, tota Ecclesia turpiter erraret, quod non videtur concedendum, cum sit Columna Veritatis 1. Tim. 3. v. 15. Tum quia in Concilio Constantiensi Sess. 8. & 14. damnatur error Wicleffii 44. Ubi Sanctitatem Augustini, Bernardi, Benedicti in dubium vocat, ajens, illos fuisse damnatos, eo quod admisissent possessiones.

XVI. *Doctrina septima.* Probabilissimum videtur, de fide quoque esse, Papam in Beatificatione errare non posse. Ita Verricelli in Quæst. Moralib. Tr. 8. q. 25. n. 3. Megalium V. Canonizatio. n. 1. Palao Tr. 4. D. 1. pun. 5. n. 4. quos citat & sequitur Diana P. II. Tr. de infallib. decret. Pontif. Refol. 10. Probat. In his, quæ pertinent ad cultum totius Ecclesiæ; Pontifex errare non potest; siquidem erraret Ecclesia, quæ tamen, ut recedens diximus, est columna veritatis; quia, dum aliquis proponitur Regno aut Ordini Religioso colendus, ita ut Missæ Sacrificium in illius honorem celebrari possit, absque dubio toti Ecclesiæ venerandus proponitur; cum nomine totius Ecclesiæ sacrificium offeratur, & universalis Ecclesia medio illo Ministro & Sacrificio per eundem oblato Beatum illum veneretur: omnibus etiam in Ecclesia licet, se illius precibus publicè commendare, eumque Beatum appellare, ac pro tali verè judicare. Si ergo fieri posset, ut iste non Beatus, sed damnatus: non in alto cæli, sed abyssò inferni: non gloria & honore, sed contemptu & vituperio dignus existeret, utique universa Ecclesia longè turpissimè erraret & deciperetur. Non obstat, quod Canonizatio fiat per modum Sententiæ definitivæ: Beatificatio autem sit solum indulgentia seu concessio Pontificis facta alicui Provincie aut Ordini Religioso, ut possit aliquis defunctus appellari Beatus, eique cultus exhiberi. Nam per hoc discrimen non cavetur, quin universa Ecclesia errare turpiterque decipi possit, sed solum habetur, evidentius apparere, de fide certum esse, quod Pontifex errare non possit in canonizatione, quam in Beatificatione; Unde etiam plures pro illa, quam pro hac Sententiæ stant Doctores. Sed, inquit Arriaga D. 9. cit. n. 34. si de fide sit, Beatorum esse in cælo, cur postea in ejusdem Canonizatione de novo inquiratur in illius vitam, ac nova testimonia exiguntur? Dicimus fieri hæc non tam ad veritatis novæ indagacionem, quam ad solennem jam repertæ approbationem, & publicam habitæ curæ ostensionem, quia Pontifex etiam ad talem declarationem Beatitudinis gravitè examine, sanctique Spiritus assistentiam invocat, rogaturque, ne Deus errare ipsum permittat. Audio etiam ex P. Mart. Esparza, fieri istam inquisitionem novam in miracula solum & augmentum cultus: non in vitam.

XVII. *Doctrina octava* præcedenti, quod de fide sit, Pontificem non posse errare in Canonizatione, contrarium sensisse videntur Cajetanus de Indul. ad Julium cap. 8. & nonnulli apud Tannerum Tom. 3. D. 1. Q. 4. n. 287. moti forsitan his argumentis. Tum quia Papa in Canonizatione ac Beatificatione nititur humanis informationibus, quando

quando de ipsius Canonizandi vel beatificandi vita inquiri. Atqui hæc possunt esse fallæ. Ergo &c. Tum quia Nicolaus II. Canonizationem Sancti Francisci, de qua aliqui dubitabant, confirmans nullam hæresis facit mentionem, sed tantum ita loquitur: *rogamus & hortamur in Domino, quatenus ab assertionem contrarij aures de cætero penitus avertantur.* Tum quia de facto videtur Ecclesia errasse Canonizando; etenim in Martyrologio ponitur Elias Propheta Canonizatus, qui tamen creditur nondum mortuus. Tum quia multæ in Ecclesia coluntur tanquam Virgines, cum tamen Virginitas valde occultis perdatur modis, ac proinde infallibiliter non videtur posse definiri. Addi his potest authoritas S. Augustini ab hæreticis obijci solita, qui dixerit: *multa corpora humana honorari in terra, quorum anima cremantur in gehenna.*

XVIII. Hæc argumenta talia non sunt, ut contra communem doctrinam suadere quicquam valeant, quam S. Bonaventura in opusculo contra Guilielmum tanti jam fecit, ut dixerit, ad infidelitatem spectare, de Sancti Canonizatione dubitare. Respondemus igitur ad 1. Pontificem ipsi niti tanquam aliquâ conditione præambulâ, non tamen simpliciter necessariâ; principaliter enim hoc niti fundamento, nempe promissione & assistentiâ Spiritus Sancti, quæ etiam in hoc negotio ipsi adest, ne Ecclesia in errorem inducatur. Ad 2. Noluisset Pontificem illum durius loqui, quod fortasse sciret, infallibilitatem Canonizationis non recipi ab omnibus Doctõribus tanquam exploratum fidei dogma. Cæterum hocipso, quod hortetur, ut aures penitus ab oblationibus avertantur, jam contrariam sententiam censurâ dignam notat. Ad 3. Eliam non poni in Martyrologio Beatum, sed Sanctum; qui tamen merito colitur & invocatur, utpote certus de beatitudine & suo tempore beandus: neque aliter eum colunt PP. Carmelitæ, qui illum volunt suum esse Authorem. Ad 4. cum Tannero Tom. 3. D. I. Q. 4. cit. n. 298. duplicis generis Virgines coli ab Ecclesia; aliquas, in quarum Canonizatione decernitur, quod non tantum sint Sanctæ, sed etiam Virgines, ut proinde infallibile sit, illas fuisse Virgines: alias verò, quæ titulo martyrij aut vitæ Sanctæ Canonizatae merito præsumuntur Virgines, idèoque officium Virginum de illis celebratur, non tamen expressè Canonizantur, ut Virgines; atque de hisce concedendum videtur cum cit. Authore, nos non esse infallibiles de earum virginitate strictè sumpta. Quoad authoritatem D. Augustini, ait Card. Bellarminus Lib. 1. de Sanct. beatitud., se hæc verba non potuisse reperire apud S. Patrem. Sed facilem habent explicationem, ut intelligantur vel de corporibus, quæ forte per errorem sunt supposita loco corporum verorum Sanctorum: vel de corporibus Principum & Magnatum multorum, quæ splendidissimis incluse sepulchris habentur in veneratione, animæ tamen aliquorum exijs in inferno torquentur: vel demum de ijs, quæ apud multos habent immeritò honorem Sanctitatis, aut nomen martyrum; sic tempore Augustini aliqua Donatistarum corpora hæretici tanquam verorum Martyrum honorarunt, & hodie Hussium ut martyrem colunt Hussitæ, Lutherum verò ut Sanctum venerantur Lutherani &c.

XIX. *Doctrina octava.* Infallibilitas Summi Pontificis, ut personæ publicæ seu ex cathedra ali-

quid definiens, quam hætenus statuimus, & inter Fidei dogmata posuimus, non extendenda est ad omnia omnino objecta, sed intelligenda cum certis limitationibus. Ita communis Theologorum. *Prima limitatio est*, ut eatenus Pontifex non possit errare, quatenus id requirit infallibilitas Ecclesiæ. Quia Papalis infallibilitatis potissimum fundamentum est infallibilitas Ecclesiæ, ne ista per illius errorem seducatur, ut optime notat Tanner Q. 4. cit. num. 240. Si ergo contingeret, Pontificem errare sine detrimento Ecclesiæ, ille error non repugnaret Ecclesiæ. Unde communiter dicunt Doctores, Pontificem non esse infallibilem in quæstionibus merè philosophicis & profanis. In doctrina etiam Fidei tripliciter fieri potest, ut error Pontificis non obsit Ecclesiæ. 1. Si non promulgaret suum decretum, sed supprimeret, ne in notitiam Ecclesiæ veniret. 2. si Ecclesiæ ejus decretum non susciperet, sicuti non teneret suscipere, si manifestè errorem contra priora dogmata contineret, si non constaret, illum esse legitimum Pontificem, quia tunc nondum ab Ecclesiâ audiendus est.

XX. Has Restrictiones passim Authores vel assignant, vel insinuant. Vasquez de Legib. D. 115. cap. 2. expressè docet, Pontificem in legibus & canonibus ferendis non censi infallibilem, nisi adsit legitima causa & sufficiens promulgatio, his verbis: *id quod observant in Curia Romana, ut Summi Pontifices nondum loqui censeantur de Sede Petri tanquam Judices & Pontifices in legibus & canonibus ferendis, etiamsi eas imprimi faciant, donec ad valvas Principis Apostolorum solemniter publicentur.* Statimque addit: *contingit interdum, ut in Bullis & Legibus impressis dicatur (publicata tali die) & tamen nunquam fuerint promulgata; quare nec tunc vim legis habere censendas esse.* Allegat hæc eadem verba Tanner loc. cit. n. 163. atque ex illis gravem difficultatem de Biblijs Sixtinis solvit. Card. Bellarmin. Lib. 4. de Pontifice cap. 3. scribit, Pontificem in rebus verè dubijs statuendam ab omnibus audiri oportere. At si manifestè falsa definiat contra recepta fidei dogmata, non statueret aliquid in rebus verè dubijs. Bannez 22. q. 1. art. 10. dub. 2. addit, nunquam errorem Pontificis redundare in universam Ecclesiâ; quia si falsum definiat, non recipietur ab Ecclesiâ, sed error definitionis revelabitur. Videtur Gretserus in defens. Bellarmini Tom. 2. ad Lib. 4. cap. 2.

XXI. *Secunda limitatio est*, ut Pontifex non versetur circa quæstiones Facti solius, quæ scilicet non spectant ad fidem & mores Ecclesiæ, sed tantum particularia quædam facta aut personas concernunt v. g. damnando, excommunicando aliquo Episcopo, aut Principe, qui ex mala informatione crederetur esse nocens; in his, inquam, quæstionibus ac rebus gestis Pontificem vel ex malicia vel ignorantia errare posse, teste Palao Tr. 4. D. 1. p. 5. §. 3. certum est apud omnes; Causam reddunt aliqui, quia tales quæstiones & gesta præcisè pendent ab informationibus humanis, quibus falsum subesse potest, ut per se constat; an autem hæc causa sufficiat, mox constabit. Ex historijs etiam habemus, Pontifices nonnunquam in talibus materijs errasse, cujus erroris varia exempla afferunt alij; sufficiat nobis unum hoc, quod accidit in hac particulari quæstione, utrum hic vel ille fuerit hæreticus, ubi nonnulli Pontifices decepti sunt. Damasus Vitalem Apollinaristam pro Catholi-

eo acceptavit, deceptus æquivocatione verborum, quibus in professione fidei fuerat usus; cum enim Apollinaris hæresiarca negasset, Filium DEI in Incarnatione humani intellectum assumpsisse, Vitalis professus est, illum assumpsisse *mentē*, nomine nequiter intelligens divinitatē, non humanum intellectum; ut ex Baronio refert Spondanus an. Christi 373. addens, plures orthodoxos sic ab illo fuisse deceptos, brevi tamen à Gregorio Nazianzeno deprehensum & repudiatum fuisse. Plura similia exempla refert, Bellarm. Lib. 4. de Pontif. Unde summos Pontifices valde attentos esse oportet; si enim causam fidei segnius tractent; diu in Cathedra Petri à Deo non tolerantur, ut notat Spondanus ad annum Christi 397.

XXII. Sed quæ est causa hujus fallibilitatis? Nonnulli, ut diximus, assignant dependentiam ab informatione humana. Verum etiam Concilia Generalia, de quorum infallibilitate nemo dubitat, aliquatenus pendunt ab humana informatione, idcirco enim tot Episcopi convocantur, ut unusquisque suæ Ecclesiæ sensum & consuetudinem referat, uti tradit, Bellarminus Lib. 4. de Pontif. cap. 7. Adhæc licet humana testimonia fallibilia sint, tamen Spiritus Sanctus posset Papam ab errore tueri, cur igitur non facit? Vera igitur atque unica causa esse videtur, quod Spiritus Sancti assistentia solummodo sit promissa Pontifici intuitu Ecclesiæ, (ut paulò supra diximus cum Tannero) ne per ejus doctrinam in vita aut moribus deciperetur, cujus deceptionis nullum est periculum in factis particularibus, quæ ad fidem non pertinent.

XXIII. Objici potest, quædam particularia facta omnia ad fidem pertinere v. g. quod Filius DEI fuerit incarnatus, & sanctissima ejus Mater permanferit perpetua Virgo. Ergo si Pontifex in particularibus factis est fallibilis, poterit in nonnullis Fidei articulis errare. Respon. propositiones ad fidem pertinentes, etsi pro objecto materiali habeant aliquid particulare, formaliter tamen esse universales; quia Ecclesia non simpliciter dicit, *Filium DEI fuisse incarnatum, & ejus Matrem semper permanferisse Virginem*, sed cum addito generali: *omnes tenentur credere, Filium DEI fuisse incarnatum &c.* Ergo admittit, definitiones fidei, etiam de factis particularibus esse universales & infallibiles.

XXIV. Tertia & ultima limitatio est, ut Pontifex, quando aliquid ad fidem pertinens docet, non putetur, omnia, quæ in illo decreto continentur, statuisse tanquam infallibilia, sed per se loquendo, tantum sententiam definitivam. Ex circumstantijs autem & occasione scribendi, ex quæstione proposita, ex verbis decreti consiendum erit, quidnam directè definire & determinare velit Pontifex; reliqua enim, quæ tantum obiter & incidenter, vel tantum pro aliqua rei definitæ probatione & confirmatione adduntur, per se loquendo, non censentur cadere sub definitione, sed potius dici à Papa tanquam Doctore privato; unde simpliciter falsa esse possunt, Deo id consulto permittente, ut appareat, Ecclesiæ definitiones non niti discursu humano, sed divinâ

assistentiâ & inspiratione,

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

XXV. **E**rror primus. Romani Pontifices non habent infallibilitatem, sed errare possunt etiam ut publicæ Personæ aliquid ex Cathedra pronuntiantes: Ita hæretici moderni ac Veteres omnes in id unice intenti, ut Romani Pontificis infallibilitatem infringant, imò ex eo, quod dicimus, Papam ut publicam Personam errare non posse, & ipsemet hoc de se affirmet, evincere volunt, eundem esse Antichristum, in cujus fronte scriptum ajunt blasphemiam istam: *DEUS SUM, NON POSSUM ERRARE*. Præter calumnias, criminationes & cavillationes, quas plures hic coaceruant Amelius Tom. 1. à fol. 206. & Gerhardus lib. 1. maxime à fol. 209. & alij passim, Infallibilitatem Papæ hæc fere argumentis evertere nituntur. *Primum*: Infallibilitas Pontificis non potest aliquò perspicuo & evidenti Scripturæ testimonio demonstrari. *Secundum*. Pontifices Veteris Testamenti, quorum tamen ordo à Deo institutus erat, erraverunt, Cur non & Romani Pontifices errare possint? *Tertium*. Quicumq; liberè agunt, possunt errare, cum libertas sit indifferens ad bonum & malum. Atqui Pontifices liberè agunt, quia possunt omittere. Ergo possunt errare. *Quartum*. Homo destitutus Spiritu Sancto potest errare. Sed quidam Pontifices fuerunt destituti Spiritu Sancto. Ergo potuerunt errare. Mai. patet, quia infallibilitas fundatur in assistentia Spiritus Sancti. Min. ostenditur ex S. Scriptura Sapientiæ 1. v. 4. *in malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Joan. 14. v. 17. *dabit nobis Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere;* ubi nomine mundi homines mali intelliguntur. Constat autem ex historijs, aliquos Pontifices fuisse sceleratos, ut fatentur ipsi Pontificij, ac nominatim Bonifacium VIII. & Benedictum IX. ac Gregorium VII; Primus horum isto epithaphio apud Gerbardum A. C. 1303. honoratus fuit: *intravit ut vulpes, regnavit ut lupus, mortuus est ut canis.* Aliter post mortem monstrôsâ forma urfi cum auribus & cauda Asinina apparens æternis se flammis addictum fuisse confessus est, teste Petro Damiani in epist. quadam. Ultimus fuit fugitivus Monachus, notorius Magus, fur, Latro, traditor Christianorum & depositus Papa. *Quintum* denique argumentum Adversariorum. De facto jam multi Romani Pontifices errores è Cathedra docuerunt, ut videre est apud Molinæum Magdeburgensem, Gerhardum, & alios. Ergo non negandum, eos, quæ tales, errare posse in rebus fidei.

XXVI. Error iste sicuti communis est omnium Sectariorum, ita planè crassus & luculentus est. Et si penitus inspicatur, hoc maxime nititur fundamento: *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax*: hinc enim Papam dicunt Antichristum; quia, cum sit homo mendax, instar DEI infallibilem se esse jactat. Ex quo fundamento aperte & necessariò sequitur, Moysen, Prophetas, Apostolos, Evangelistas Lutherum quoque & Calvinum, item omnes Prædicantes mendaces esse, & errare posse, quia homines sunt. Nihil igitur illis credendum

dendum est, sed omnia, quæ ab illis dicuntur, suspecta & incerta sunt habenda. Ubi ergo fides? Nec dicere sufficit, se non hominis, sed Dei verbum annuntiare; etenim si mendaces sint, etiam in hoc puncto mentiri possunt. Nihil ergo certi est. Sed nec constantes sunt Sectarij in hoc suo errore & fundamento. Nam docent cum Amefio fol. 214. Ecclesiam non indigere uno aliquo, sed multis (scilicet Ministris Calvinicis & Lutheranis) quorum fides non deficiat, & à quibus alij confirmari in fide valeant. Ergo illi sunt confirmatores infallibiles? Si ita. Cur nos Catholici hoc ipsum de Summo Pontifice non dicamus? certè aliud, & amplius in ipso non requirimus. Quantumvis igitur Summus Pontifex homo sit, & personaliter mentiri errare, & in hæresin labi possit: attamen non potest judicialiter ex cathedra definiendo non confirmare fratres, adeoque expers esse erroris, & hoc ex claris Sac. Scripturæ testimonijs; quod Puritanus nequiquam multis suis socijs attribuit, turpiterq; sibi contradicit.

XXVII. Respon. *Primo ad 1. argumentum.* Ex Luc. 22. v. 23. præclarum Sacræ Scripturæ textum allatum fuisse pro Infallibilitate Pontificum, quam Bellarminus Lib. 4. de Pontif. cap. 3. adeo claris Patrum testimonijs confirmat, ut adversarij nihil habeant, quod contra illa opponant, solummodò effugia quædam quærentes, quorum 1. Nihil in illo textu dici de docendo, nihil de tota Ecclesia, nihil de errore, nihil de Papa. 2. non fuisse illa privilegia propria Petri, sed communia Apostolorum. 3. Converti à peccatis, esse donum personale, ideoq; Christum loqui ibi ad Petrum, ut personam privatam, non ad Successores hujus. 4. Christum ibidem oratione sua non impetrasse Petri Successoribus donum perseverantiæ, ut concedit Bellarm. cap. 3. cit. ideoq; nec infallibilitatem; siquidem ista dicit donum nunquam amittendi fidem, & nunquam docendi aliquid contra fidem.

XXVIII. Sed hæc effugijs Sectarij minimè evadunt vim divini testimonij, & efficaciam orationis Christi pro Petri, ejusque Successorum infallibilitate. 1. Est nova cavillatio & tergiversatio Amefij contra communem interpretationem Patrum & Doctorum. Etenim cum Petrus jam fuerit designatus universæ Ecclesiæ Caput, Rector, & Pastor, cujus officium est suos regere, docere, & ab errore defendere; an non satis dicitur de tota Ecclesia, de errore, de Papa, dum asseritur, impetratam ipsi fuisse infallibilitatem per orationem Christi? Ad 2. Ejusdem Calvinistæ dicimus, Christum duo privilegia impetrasse Petro. 1. Ut ipse nunquam veram fidem amittere posset. 2. Ut ipse tanquam Pontifex non posset aliquid docere contra fidem. Hæc duo fuisse communia Apostolorum, ut personalia & quoad ipsorum personas, concedimus: negamus autem sic de posteriori, ut emanato ad Successores; hoc enim hereditarium fuisse in Petro, inde luculenter deducitur. Quia Pontifex, qualis erat Petrus jam designatus, est propter Ecclesiam, non Ecclesia propter Pontificem. Cum ergo Ecclesia semper indigeat aliquo, per quem confirmetur, & cujus fides deficere in docendo non possit, orationem Christi, quoad hoc punctum, non solum ad Petrum, sed omnes ejus Successores extendisse se, credendum est. Ad 3. Gerhardi negamus consequentiam. Nam con-

stat evidenter, Christum Petro duo rogasse & impetrasse dona, personale vnum, scilicet conversionem à peccato: alterum commune pro bono Ecclesiæ, nempe infallibilitatem in docendo, quorum unum non necessario dependet ab altero; posterius horum transmitti ad hæredes, habemus tum ex Traditione, tum ex ipso fine, propter quem fuit concessum: de priori non item. Ergo verba Christi non eodem modo in utroque ad privatam Petri personam trahenda sunt. Ad 4. ejusdem Lutherani iterum negamus consequentiam, & adjectam rationem. Nam infallibilitas judicij in decidendis fidei controversijs posset alicui à Christo conferri, cui tamen nec donum nunquam amittendi fidem, nec perseverantia in Fide usque ad mortem concederetur. Ecce occlusam Adversarijs omnem effugiendi viam!

XXIX. Respon. *secundo ad 2. argumentum.* Synagoga seu Veteris Testamenti Ecclesiam aut Summos Pontifices (abstrahendo à privatis eorum Sectis & persuasionibus) publicè ex cathedra nunquam falsam doctrinam fidei docuisse, donec Joannis 11. v. 47. in concilio suo Christum omnino rejecerint, & è medio tollere statuerint; quod impium & oblinatum scelus Christus & verbis & operibus apertissime reprehendit; alias idem Salvator tam discipulos quam populum ad sequendam illorum doctrinam direxit Matth. 23. v. 1. iniquens: *super cathedram Moysi sederunt scribæ & Pharisei; omnia ergo, quacumq; dixerint vobis, servate & facite: secundum opera verò eorum nolite facere &c.* quod argumentum est manifestum, illos in officio suo Sacerdotali & doctrinali illibatam doctrinam proposuisse; alioquin Christus ad falsam eorundem instructionem neminem unquam ablegaturus fuisset. Nec Adversarij probare possunt, ullum unquam Pontificem Judaicæ Ecclesiæ in doctrina fidei publicè tradenda erravisse. Nam Aaronem & Uriam factò tantum externo non autem interno, definiendo errasse ad eum modum, quo etiam Marcellinus Papa externam idololatriam peccavit, sæpe Catholici Doctores responderunt, nominatim in Colloquio Ratisbonensi part. 1. cap. 5. & in Apologico ejusd. cap. 11. & 12. Quidquid autem sit de Ecclesia Judaica; alia longè est ratio Ecclesiæ Christianæ. Nam illa prior fuit duntaxat Ecclesia particularis, extra quam salus animæ obtineri potuit, & tempore Christi propè interitum suum extitit: hæc autem posterior est Ecclesia universalis, extra quam nulli salus æterna obvenire potest. Videri potest Tanner Tom. 3. D. 1. §. 4. num. 271. ubi notat, penès Christum ante hujus passionem fuisse supremam judiciariam potestatem, nec huic præjudicare potuisse potestatem judiciariam Caiphæ, qui tunc temporis non fuit amplius absolutè summus Sacerdos, ita ut firmum sit, summum simpliciter Pontificem retentam supremam suam potestatem judiciariam errare in definiendo non posse.

XXX. Respon. *tertio ad 3. argumentum.* distinguendo Majorem. Quicumque liberè agit, potest errare, si fuerit liber tum quoad specificationem, quàm quoad exercitium, concedimus: si quoad exercitium tantum, negamus. Atqui Pontifices in definiendo non sunt liberi quoad specificationem; quia DEUS non permetteret talem errorem, nec ad eum concurreret, sed tantum quoad exercitium; quippe possunt omittere definitionem,

gh. a.
er
ologia
emica
XI
9.

nam, adeoque ita non errare. Alij eidem argumento tali distinctione occurrunt; quicumque liberè agit, potest errare potestate antecedente, & habente sufficientem potentiam, & omnia requisita, esto: potestate consequente, & reipsa in actum exitura, negant. Quare propter libertatē non metuendus error actualis Pontificum, utpote quem Deus nunquam videt futurum, licet antecederet sit possibilis. Non obstat Alphonfus toltato in 1. Regum pag. 149. sic scribens: *Persona est eadem numero Gregorius ut Papa, & ut non Papa, & ideo æqualis sapientia est utroq; modo, sed non æqualis potestatis; quia Papatus potestatem addit, potestas autem est ad aliquid iubendum, non ad verius dicendum.* Nam loquitur de persona privata Papæ, quæ etiam cum potestate Papatus non semper habet assistentiam Spiritus Sancti ad verius dicendum, sed solum ad definiendum ex Cathedra veram fidei doctrinam; quod notandum contra Gerhardum, qui plura familia cõaceruat.

XXXI. Respon. Quarto ad 4. argumentum, distinguendo itidem Mai. Mali homines non habent assistentiam Spiritus Sancti in ordine ad propriam sanctificationem, concedimus: in ordine ad aliorum salutem, cui ex officio prospicere tenentur, negamus. Nam talis assistentia pertinet ad gratias gratis datas, quæ etiam malis interdum conceduntur, teste Christo Matth. 7. v. 22. ubi dicit, multos damnatum iri, qui miracula fecerunt. Quod si Deus in Ecclesia sua malos Pontifices permittat, ut supponitur in Minore, efficaciter inde ostenditur tum Romanæ Ecclesiæ firmitas, utpote quæ neque sceleratorum Antistitam operâ deperdi, & in nihilum redigi valeat: tum Papalis eminentia, quam idem Deus Opt. Max. corroborat quotidianis miraculis per Agnos Dei à Summis Pontificibus (malis æquè ac bonis) benedictos, qui maximam vim habent contra magos & dæmones; quod solæ imagines Christi sine benedictione Pontificia non præstant: nec alterius Episcopi Benedictio sufficeret. Cæterum *Bonifacius VIII.* tam flagitiosus non fuit, ac describitur, uti colligitur tum ex eo, quod multis annis post mortem corpus ejus incorruptum fuerit repertum, sicuti refert Hippolytus Marsaccius de Pontificibus Maximis Marianis fol. 120. tum etiam quod Deus Philippum Regem Franciæ, qui eum incarceraverat, graviter punierit, ut tradit Genebrardus cit. Quæ Petrus Damiani de anima *Benedicti IX.* scripsit, & ex ipso retulit Spondanus ad annum Christi 1054. num. 6. fabulosa potius quàm historica censet Card. Bellarminus de scriptoribus Ecclesiasticis V. Petrus Damiani. Verius ex alijs historijs constat, Deum ita invigilasse bonis moribus Pontificum, ut si vel semel castitatem violassent, mox illos corripere. Videri potest mirabile factum Antidij Episcopi Vefontini apud Jacobum Chiffletium in historia Bisontina P. 2. fol. 64. *Gregorio VII.* gravem fieri injuriam demonstrant Card. Baronius ab Anno Christi 1042. usque ad 1087. Bellarminus Lib. 4. de Pont. cap. 13. ubi 32. Scriptorum testimonia adducit. Gretserus in Apologia pro Gregorio VII. ad fin. Tom. 11. defensionis Bellarmini & cap. 45. Examini Mysterij Plessiani, ubi fusè hac de re agit, & 50. Authores pro innocentia hujus Papæ allegat, videri etiam potest Hippolytus Marsaccius cit. ubi fol. 73. mira de sanctitate ejusdem Papæ scribit, & inter alia, illum

jussu Beatissimæ Virginis Mariæ excommunicasse Henricum IV. Romanorum Regem. Ut proinde omnia, quæ hæretici de isto Papa spargunt, vanissima sint & in fumum abeant desumpta ex diabolico odio Bennonis Pseudo-Cardinalis, quo hic in Gregorium VII. ardebat.

XXXII. Pari modo multi alij summi Pontifices non fuerunt adeo scelerati, sicut passim traducuntur, sed diabolus (qui summo odio Ecclesiam ejusquæ Antistites prosequitur) omnis generis falsitates Scriptoribus suggestit. Supra etiam jam diximus, de Summis Pontificibus multa fuisse scripta, quia cum Germanis Imperatoribus multis annis graves controversias habuerunt, & Christiani tunc temporis in duas ferè partes se dividerunt, quarum una Imperatoribus, altera Ecclesiæ Pontificibus adhæsit; unde Cæsariani fautores mendacis, injurijs, & calumnijs Pontifices discindere, atque exosos reddere contenderunt. Sed quidquid isti malevoli de vita mala Pontificum effusant, & in chartas etiam evomant. Audiant D. Augustinum epist. 165. ita scribentem: *In illum ordinem Episcoporum, qui ducitur ab ipso Petro usque ad Anastasium (Innocentium XI.) qui nunc super eandem Cathedram sedet, etiam si quisquam traditor (Scortator, belluo, latro, veneficus) per illa tempora irrepisset, nihil præjudicaret Ecclesiæ neque innocentibus Christianis, quibus Dominus providens de malis Præpositis ait: quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, facere nolite, ut certa sit spes fidelibus, quæ non in homine sed in Deo collocatur.* Infallibilitati igitur Pontificum in docendo, per malam istorum vitam nihil penitus demitur.

XXXIII. Respon. quinto ad 5. & ultimum argumentum. A Magdeburgensibus, Molinæo, Gerardo, Amefio, & alijs hæreticis multa summis Pontificibus impinguntur tanquam errores, quibus singulis in particulari fusè & eruditè occurrit Card. Bellarminus Lib. 4. de Pont. à cap. 8. alijsq; Controversiæ. Summa responsum in his fere consistit. Errores, qui Pontificibus obijciuntur, vel errores non sunt: vel falsò ipsis impinguntur, vel certè Pontifices non ita definiuerunt, sed fecerunt tantum ut privatæ personæ & Doctores: vel obiter per modum discursus aliquid adjecerunt ad idè punctum, quod ex instituto definire voluerunt.

XXXIV. Sic igitur excusari possunt. *Nicolaus I.* quod cap. 24. dist. 4. de consecrat. ratum habuerit, Baptismum in nomine folius Christi collatum. Quia hoc non dixit ut Pontifex, sed ut privatus Doctor immiscuit, cum à Bulgaris interrogatus tantum fuisset de Ministro, utrum ab Infideli collatus valeat. Privatam etiam illam sententiam, quod baptismus in nomine Christi validè conferri possit, falsam quidem non tamen hæreticam censet Bellarminus cap. 12. eò quod de hac re non habeatur certa Ecclesiæ definitio. Res ad Sacramentum de Baptismo spectat, ubi eam expendimus. *Martinus I.* quod ep. ad Amandum presbyteris & Diaconis contra votum castitatis peccantibus veniã negaverit, quia per veniã non intellexit remissionem peccati, sed plenam reconciliationem cum Ecclesia, ut Sacris mysterijs fungi permitterentur, sicuti indicant verba Epistolæ apud Baronium A. C. 649. *Gelasius*, quod in libro contra Eutychem scripserit, in Eucharistia manere substantiam panis. Quia liber ille non est Gelasij Papæ, sed alterius Gelasij Ciziceni, ut advertit Bellarminus de scriptoribus Ecclesiasticis V. Gelasius. Quæ ratione idem Papæ

communione sub una Specie prohibuerit: item Canones Apostolorum vocaverit Apocryphos, dicemus suis locis.

XXXV. Sic excusari possunt *Liberius*, quod iudicio contra Athanasium subscripserit, & Arianis consenserit. Quia in exteriori solum facto Arianis se implicuit: in animo autem fuisse Arianum, probare Adversarij non possunt. Similiter Felix, quem Liberio deposito statim Clerus Romanus pro legitimo Papa accepit, ut familiaritate cum Arianis nonnullos scandalizaverit, & hæreseos suspectum se fecerit, illorum tamen errori non consensit, ut pluribus ostendit Bellar. cap. 9. *Anastasius II.* quod Acacio, quem prius excommunicarat, iterum fauerit, & Nestorianis adhererit. Quia Acacius multo ante fuit mortuus sub Felice III. quam Anastasius post Gelasium fuerit Pontifex, ut testatur Nicephorus Lib. 16. c. 12. & alij. Unde non solum Platina & Fasciculus temporum, sed etiam Gratianus fuit deceptus dist. 15. cap. 9. qui tamen error in iure can. ex mandato Gregorij XIII. fuit correctus. *Honorius I.* quod fuerit Monothelita. Quia hujus Epistolæ ab omni errore sunt alienæ; unde nec à Synodo VI. tanquam Monothelita fuit damnatus, sed ejus nomen à malevolis adjunctum fuit nominibus illorum, quos prædicta Synodus tanquam Monothelitas damnavit. *Cephrinus*, quod à Tertulliano Lib. adversus Praxeam annumeretur hæreticis Montanistis, quasi putarit, secundum matrimonium esse illicitum, & quodlibet matrimonium prohibito solvi posse. Quia Tertullianus, cum ipse fuerit hæreticus Montanista, hæc in re fidem non meretur. Deinde non ait, Zephyrinum ita in specie de matrimonio sensisse, sed in genere tantum putasse, Montanistas esse Catholicos, fidei eorum miraculis deceptum, qui est error facti, non juris.

XXXVI. Sic excusari possunt *Innocentius III.* & *Alexander III.* quod exstimarint, Legem Moysaïcam Christianos etiamnum obligare. Quia prior horum, ut privata solum persona, ita sensit; unde ejus decisio cap. 13. qui filij sint legitimi, ad fidem non pertinet: posterior cap. 10. de testamentis non dixit, veterem legem adhuc ligare, sed parem rationem esse veteris & novi testamenti, quod etiam duos vel tres testes requirit. *Gregorius III.* quod cau. 32. q. 7. cap. 18. concesserit viro aliam ducere uxorem, si prior ob infirmitatem reddere debitum nequeat, qui est manifestus error, ut fatetur Gratianus ibidem. Quia Papa locutus est de perpetua impotentia antecedente matrimonio; & ita non ipse, sed Gratianus erravit. *Siricius*, quod matrimonium vocaverit pollutionem, cum tamen sit Sacramentum. Quia non est locutus de legitimo matrimonio, sed fornicatione; aut certe de valido quidem matrimonio, sed illicito, quod Ecclesia in penam prohibuit. Sunt etiam, qui putent, illum locutum esse de solo usu & copula carnali, quæ in Sac. litteris vocatur immunda 1. Reg. 21. v. 4. *Leo I.* quod epistolâ 79. Scripserit, mulierem absente marito, qui nunquam putatur rediturus, posse alteri nubere: & si prior reversus nolit illam recipere, posse illam cum secundo manere. Quia duplex & mera est calumnia. Papa non dixit, mulierem posse nubere alteri, si maritus absens non videatur rediturus, sed si rationabiliter videatur mortuus,

Neque dixit, priore marito præter opinionem reverso posse eandem cum posteriore remanere, sed debere ad priorem redire, si eam recipere velit; quid autem faciendum, si nolit eam recipere, non explicavit: Videatur Bellar. cap. 10.

XXXVII. Sic excusari possunt *Joannes III.* quod campanas baptizari jussit. Quia benedictio campanarum, quæ fit per aspersionem aquæ lustralis & impositionem nominis non est propriè dictus baptismus, sed vulgò ita appellatur ob aliquam cum baptismo similitudinem, ut declarat Bellar. Lib. 4. de Pontif. cap. 12. *Joannes XXI.* quod fenserit, animas Sanctas Deum non vituras ante diem extremi iudicij. Quia errorem hunc non solum nunquam determinavit, aut Ecclesiæ tanquam fidei doctrinam proposuit, sed etiam ante mortem suam revocavit, ut testatur Joannes Villanus Lib. 11. cap. 19. de rebus Florentinorum asserens, se istud habere ex fratre suo, qui in aula Joannis Papæ fuerat. *Joannes XXIII.* quod resurrectionem carnis, & vitam æternam negaverit. Quia Concilium Constantinense Joannem deponens, & causas hujus depositionis Sess. 12. enumerans nullam illius erroris facit mentionem; unde non malè putat Bellarminus cap. 14. tam turpem errorem fuisse quidem objectum, non autem probatum. Addit idem Author, istum Pontificem non necessariò ab errore defendendum esse; quia universim ad infallibilitatem Papæ requiritur, ut pro legitimo agnoscat, qualis ipse non fuit. *Eugenius IV.* quod à Concilio Basileensi Sess. 34. tanquam hæreticus fuerit depositus. Quia Concilium nullas legitimas causas hujus depositionis habuit. Unde idem Concilium postea Laufannæ continuatum acta priora rescidit, & Nicolaum V. Eugenij Successorem pro vero Papa agnovit, uti itidem Bellarminus loc. cit. declaravit, ut non nisi pridem ab illo refutata referant Adversarij.

XXXVIII. Sic denique multi alij Pontifices excusari possunt ab erroribus, quos hæretici nequicquam occlamitant, ut proinde eorundem summorum Pontificum certa semper stet, maneatq; Infallibilitas, dum ex cathedra aliquid pronuntiat, quam nostram doctrinam egregie confirmat Theodortus in epist. ad Renatum Presbyterum Romanum verbis illis supra §. 5. & 9. jam allatis: *Tenet ista Sedes gubernacula regendarum cuncti orbis Ecclesiarum, cum propter alia, tum quia semper hæretici factoris expertis permansit, nec ullus unquam, qui contrarium sentiret, in ea sedit.* Videri possunt DD. à Walenburch. Tom. 2. ubi à fol. 134. Infallibilitatem Papæ in definitionibus rerum Fidei catholice fuse defendunt contra Hermannum Conringium plura opponentem, sed quæ omnia in ijs, quæ diximus, vel expressè comprehenduntur, vel facillè ex iisdem rejiciuntur.

XXXIX. *Error secundus est*, canonizationem Sanctorum malè fieri: & in hac errare Pontificem posse. Ita ex communi Sectariorum sensu Gerhardus Lib. 1. fol. 245. Et superrimè Meno Hannekenius, qui in suo Itenico Catholico-Evangelico fol. 235. scribere fuit ausus, evidens esse, *Franciscanos offerre tonnas auri Papæ, ut ordinis sui homines canonizentur.* Probant. Tum quia extra Verbum Dei non sunt fingendi novi articuli; nec instituendi novi cultus. Tum quia mos iste canonizandi, qui nunc viget, primis Ecclesiæ sæculis fuit

gha
er
ologia
mica
XI
9^a

incognitus, ejusque suffragio destitutus. Tum quia Papa errare potest, eum habendo pro hæretico, qui non est. Ergo etiam in canonizatione Sanctorum. Tum quia ex communi doctrina Pontificiorum potest Papa in quæstionibus facti errare. Atqui talis est Canonizatio v. g. Petri de Alcantara. Ergo &c.

XL. Errorem hunc in priori parte satis refutavimus; & immeritò sanè carpi & rejici ab hæreticis canonizationem Sanctorum, vel ex eo clarè patet, quod Deus ipse voluerit à Sacris Scripturis annotari in particulari gloriosam vitam & mortem eorum, qui tempore ipsorum floruerunt, ut ex Ecclesiastico cap. 44. & sequentibus constat. Et in novo Testamento canonizatur Stephanus, Jacobus Major, Petrus, Paulus &c. Ergo credibile est, eodem modo Deum velle, ut deinceps fiat. Inter cavillas & convitia (quibus ubique pugnare solent Novatores) nominatim est illud allatum: *Franciscanos tonnas auri offerre Papa, ut sui ordinis homines canonizentur*, quod est mendacium & calumnia Menonis Hanneken quocunque auri pondere gravior & planè insolens, impia, & horrenda. Cætera, quæ pro se afferunt, aut supra jam contra Cajetanum soluta fuerunt: aut communia fere sunt alijs materijs. Nihilominus

XLI. Respon. ad 1. nullum fieri novum fidei articulum, cum Sancti de nono canonizantur, sed tantum declarari, istum hominem v. g. Petrum de Alcantara esse amicum DEI, & æternâ beatitudine dignum, ideoque eodem cum alijs Sanctis cultu honorari, ejusque intercessionem publicis precibus postulari posse. Potest etiam propositio illa distingui, & concedi, nullum fieri novum fidei articulum quoad substantiam præcipuorum fidei mysteriorum: negari verò de omni simpliciter veritate ad fidem pertinente. Videri potest Arriaga Disput. 11. de Fide, alijsque Scholastici in quæstione, utrum Successu temporis objecta seu articuli fidei creverint quoad implicitam fidem & ipsam substantiam. Ad 2. nullum hîc esse peculiare ac novum fidei dogma antiquis repugnans, aut quod non facile ad unum ex antiquis referri possit; quæ sola novitas est profana, & vitanda. Passim etiam hæretici, & nominatim Hanneken Martinum Lutherum vocant Beatum, & pro viro Sancto colunt, ubi hoc habetur in scriptura? Ergo ipsimet novum fidei dogma cudent, & quidem S. Scripturæ repugnans. Ad 3. Negando paritatem. Nam Papa non intendit judicialiter definire, aliquem hæresiarcham esse damnatum; cum Ecclesiæ nihil intersit, certò scire, quod cum finali impenitentia decesserit talis hæresiarcha, sicuti certò definit, hunc numero hominem esse Beatum ac Dei Amicum. Aliud est de hæresi, cujus infallibilem damnationem Papæ adscribimus, sicuti canonizationem. Gerhærdus in hac sua objectione vel inscitè vel fraudulenter confundit hæresiarcham cum hæresi, cum tamen utriusque longè dispar sit ratio respectu Ecclesiæ. Ad 4. Constare ex supra dictis, propositiones ad fidem pertinentes formaliter esse universales, quantumvis pro objecto materiali aliquid particulare præferant; quia Ecclesia non simpliciter dicit, Petrum de Alcantara esse Sanctum, sed cum generali signo: omnes tenentur credere, illum esse Sanctum &c. Manet igitur inconcussa Summi Pontificis Infallibilitas in docendo res fidei, firmata in

soliditate Principis Apostolorum, pro quo Christus oravit, ut nunquam fides illius deficeret. Specialis autem à Domino Petri ac Successorum cura suscipitur: & pro Petri ac Successorum fide propriè fit supplicatio, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. Leo. M.



CONTROVERSÆ XXIX.

DE JUDICE CONTROVERSÆ SIARUM.

Ecclésiæ est Spirituale Regnum & Corpus Mysticum optimè ac perfectissimè in suo genere constitutum, & unam supremam potestatem in omnia membra, atque unum tribunal habens, ad quod Controversiæ trahi, in eoque decidi possint. Sed quis in hoc tribunali sit Judex, gravis est quæstio; quæ, quia affinis est priori de Infallibilitate Papæ, eamque supponit, ideo hîc loci visa fuit expedienda, licet à Card. Bellarmino alijsque Controversistis in materia de Verbo DEI tractari soleat.



PARS PRIOR.

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. **D**octrina prima. Datur in Ecclesia Judex, cujus officium sit, decidere Controversias circa Religionem exorientes. Ita omnes Catholici DD. Nam in omni bene ordinata communitate & Republica, in qua hujusmodi impetus cernuntur, & dissensiones hominû oriuntur, necessarius est Judex, uti sentiunt Plato, Aristoteles, & alij; qui de Republica bene constituta scriperunt; quia absque Judice mutuis se injurijs & contentionibus conciderent cives, sicque pax & concordia Reipublicæ dissolveretur juxta illud Proverb. 11. v. 14. *Ubi non est gubernator, populus corrumpet.* Atqui Ecclesia Catholica est communitas optimè constituta, cum ejus Author sit DEUS: non est tamen ita constituta, quin in ea frequenter homines propter humani ingenij impetum, imbecillitatem, aut etiam pravitatem lites & Controversias suscitent. Ergo in Ecclesia dabitur aliquis Controversiarum Judex, & quidem supremus; siquidem absque tali finis Controversijs Fidei non imponeretur.

II. **D**octrina secunda. In suprema Controversiarum Judice septem conditiones requiruntur. Ita etiam communis sententia Theologorum Catholicorum, qui nominatim assignant istas. 1. Ut Judex sit infallibilis in litibus decidendis, ne in errorem inducat Fideles; aliàs esset potius seductor in rebus fidei, quam Magister. 2. Ut exortis controversijs adiri possit à partibus litigantibus, quomodo enim partes acquiescere possunt in judicio Judicis, si nesciatur, ubi sit conveniendus. 3. Ut non habeat superiorem, ad quem provocari & appellari possit; aliàs non esset supremus, neque etiam finiret litem inter partes pertinaces, cum ta-

men

men Judex ideo adeatur, ut finis litibus imponatur. Proverb. 26. v. 1. *Judicium determinat causas.* 4. ut sententiam ferat, eamque contententibus exhibeat, & aperiat; ideo enim conveniunt Judicem, ut accipiant determinationem ejus. 5. & quidem præcipue requiritur, ut sententiam ferat non obscure & ambigue, sed clare & perspicue, ita ut pars utraque litigantium aperte & evidenter cognoscat, cui causa adjudicetur; quia sententia obscura & ambigua non dirimit litem, sed protrahit; etenim ex obscuro sentu subnascitur nova altercatio, cum tamen Judex ideo quaeratur, ut per eum contentio finiat. 6. Ut autoritate & potestate valeat judicare, nec sententia legitime lata impune contemnatur; etenim Judices illi, qui jus cum autoritate non dicunt, neque vim coactivam per se aut alios habent, litem non finiunt. 7. denique conditio est, ut habeat omnes etiam conditiones, quæ ad Judicem ordinarium in genere requiruntur, inter quas sunt, ut sit Persona publica ad id constituta, ut auditâ & intellectâ causâ recte jus dicat aut pronunciet; Judex enim definitur persona publica ad id constituta, ut secundum legis præscriptum vel loci consuetudinem populo jus dicat. Ex his apud omnes omnino Doctores receptis conditionibus statuendum, quis debeat esse Judex Controversiarum, quæ oriuntur inter Christianos circa fidem & religionem, ut experientia docet, & propter impetuosam humani ingenij volubilitatem atque imbecillitatem vix aliter fieri potest.

III. *Doctrina tertia.* Summus Pontifex tam cum Concilio, quam absque eo consideratus est Judex Controversiarum in rebus fidei exortatum. Hanc Catholicam doctrinam ex comuni aliorum Theologorum sententia tradunt nominatim Cardinal. Bellarminus Tom. 1. de Verbo DEI. Lib. 3. de Interprete Verbi DEI à cap. 3. Gregorius de Valentia Tom. 3. de Fid. quæst. 1. punct. 7. & in Analyfi Fidei Catholice pun. 8. Tanner Tom. 3. Disp. 1. quæst. 3. à. n. 10. Et Q. 4. dub. 3. Becanus in Manuali Controvers. Lib. 1. cap. 5. Arriaga D. 9. de Fide Sect. 4. DD. à Walenburch Tom. 2. a fol. 134. cit. Et præter alios fufillimè Sanderus de clave David Lib. 3. & 4. Et in opere de visibili Monarchia Lib. 7. Probat. 1. ex Sac. Scriptura. Math. 16. v. 19. Christus Petro ait: *Et tibi dabo claves regni celorum: & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in caelis &c.* Inter has claves Petro & Successoribus ejus promissas utique etiam continentur claves doctrinæ? Similiter Luc. 22. v. 32. dicit Christus: *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.* Ex quo loco Romanum Pontificem ex cathedra definitentem non posse errare, deducunt plures Patres, & nominatim Innocentius III. c. Majoris de Bapt. & ejus effectû. Si ergo Romanus Pontifex ex cathedra docens errare non potest, ut pluribus Controv. priore ostendimus, profectò ejus judicio acquiescendum est, & ipse debet esse supremus Judex. Dicit Amestus Tom. 1. fol. 46. *Si per quidquid solveris, intelligatur interpretatio Sac. Scripturæ, tum per quidquid ligaveris necessarîo etiam intelligi debet Scripturæ obscuratio, ita ut hæc etiam ad officium Petri & Successorum spectet.* Ajo, nihil in eo consequente apparere absurdum, firmitè intelligatur; nempe eos omnes ignorantia tenebris ligatos esse mansuros, qui Petri & Successorum hujus munus non agnoscunt, aut

contemnant; quemadmodum enim Sol noctu per suum abscessum obscurat aërem ex se tenebrosum, ita qui Papæ non adherent, æternis tenebris tenebuntur.

IV. Probat. 2. Autoritate Patrum, quos copiosè adducit Bellarminus Lib. 3. cit. cap. 8. sufficiat nobis unus & alter. Cyprianus epist. 69. l. 1. Lib. 4. epist. 9. pulcherrimè sic scribit: *inde schismata & hereses oriuntur, quod Episcopus, qui unus est, & Ecclesia præst, superba contentione contemnitur.* Similia habet epistol. 55. *nec unus cogitatur Episcopus, qui vice Christi sit Judex.* Quæ testimonia non possunt de quolibet Episcopo privato intelligi, quia hic non est unus, sed multi in Ecclesia: & ad schismata tollenda esset impertinens; etenim unus Episcopus licet ea posset tollere in sua diœcesi, si tamen ipse diverfum ab altero Episcopo doceret, qui obsecro illa tollerent? schismata, nisi unus esset Judex super univèrsam Ecclesiam? S. Augustinus Lib. 2. contra Cresconium cap. 33. *quisquis, inquit, falli metuit in hujus obscuritate questionis, Ecclesiam de illa consulat, quam sine omni ambiguitate Scriptura sancta demonstrat.* Rufus in epistol. 106. ad Paulinum loquens de epistolis Innocentij, in quibus diserte positum erat, ad Sedem Apostolicam pertinere judicium de rebus fidei sic ait: *ad omnia ille nobis respondit, sicut fas erat, atque oportebat apostolica Sedis Antistitem respondere.* Et denique in Lib. 5. ego verò, ait, *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesie Catholica commoveret Autoritas.* Respondet Calvinus, loquens S. Patrem de persuasione Fidelium privata, ac si dicere voluisset: ego modò non essem Christianus, nisi Fideles suis me persuasionibus commovissent. At frivola hæc interpretatio minime quadrat in verba S. Augustini, qui imprimis loquitur de præsentis; non crederem, nisi me commoveret Ecclesie Autoritas: Deinde aperte eidem tribuit imperium paulò infra ajens: *quibus ego præcipientibus credidi, his jubentibus, tibi non credam?* Et postea loquens de libro actuum Apostolorum dicit: *neesse est, ut credam, si credo Evangelio, quoniam utramq; Scripturam similiter mihi Catholica commendat Autoritas.*

V. Probat. 3. Si Sacerdotes Veteris Testamenti habuerunt jus decidendi dubia Religionis extra Scripturam, tunc Sacerdotes Novi Testamenti idem potuerunt; quippe multò digniores; nec est credibile, Deum veteri & valide imperfectæ Synagogæ plus potestatis concessisse, quam Christianæ multò perfectiori Ecclesie. Sed verum est antecedens. Ergo est consequens. Minor probatur aliquot exemplis in ipsa Scriptura relatis. David Jesurienti Abimelech Summus Sacerdos concessit panes propositionis, quos Scriptura solis Sacerdotibus permiserat; quo exemplo ex 1. Reg. 21. desumpto ipsemet Christus utitur Matth. 12. v. 4. ad cavendam scrupulositatem Phariseorum litteræ scriptæ nimis inhaerentium absq; ulla prudentia & epyikia. Festum Paschatis præter ordinem à Scriptura præscriptum Sacerdotes sub Ezechia Rege in alium mensem distulerunt, quia præscripto tempore commodè celebrari non poterat 2. Paralip. 30. v. 2. Ibidem v. 18. hominibus immundis & legaliter nondum sanctificatis permilla est manducatio paschalium victimarum alioqui lege prohibita, quod Deo non displicuit. Rufus eod. loco vers. 23. Octavæ Paschali additi sunt 7. alij dies festivi præter Scripturam. Et Similiter

Esther 9. & 1. Machabæorum 4. nova festa instituta sunt, ac 1. Machab. 2. v. 41. decretum prælium cum hostibus die Sabbathi committendum, quod in Lege prohibitum videbatur tanquam labor.

VI. Ex his & similibus exemplis clarè apparet, Sacerdotem solitum esse exorta dubia decidere Religionis, semperque observatum fuisse juxta id Aggæi 2. v. 12. *hec dicit Dominus exercituum, interroga Sacerdotes legem. Et Malachiæ 2. v. 7: Labia Sacerdotis custodient scientiam, & Legem requirunt ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est.* Ubi aperte habetur, non esse privatorum hominum, judicare de sententia legis Domini, sed Sacerdotis, qui cum sit Angelus, id est, Nuntius DEI, ad eum pertinet ex officio, sententiam Dei explicare. Quid ad hæc Amæsius? nihil aliud, quam *quis negat?* fol. 44. Bene est. Ergo deferit pessimam suam causam, & Catholicorum sententiæ omnino acquiescit; certè qui illud non negat, hoc concedere videtur.

VII. Non declinant facti argumenti nostri teulum alij Sectarij dicendo. Et si Sacerdos Summus in quæstionibus Scripturæ, Fidei, ac Religionis fuerit Judex, at non idcirco extitit erroris immunis; siquidem in civilibus quoque controversijs tenebantur subditi sententiæ supremi Judicis acquiescere, licet is reverà erraret. Nam Hæbreorum Pontificem in ejusmodi Scripturæ, Fidei, ac Religionis controversijs fuisse infallibilem, Doctores Catholici communiter tenent, & planè evincunt his rationibus. 1. Quia Summus Sacerdos erat instructus Rationali illo vâridico, cui Urim & Thumim, hoc est, Doctrina & veritas inscripta visabantur. 2. Quia Deus Deut. 7. v. 9. per illum promisit veritatem judicij, & sub gravi pœna voluit, ut omnes ejusdem sententiæ acquiescerent, ut patet ex Aggæi cit. Non videtur autè credibile, Deum voluisse sub pœna mortis omnes acquiescere sententiæ falsæ. 3. Quia aliàs litigantes, qui Pontificem consulebant, nunquam fuissent securi. 4. Quia Christus Matth. 23. v. 2. ajens: *quacunq; dixerint vobis in Cathedra Moysis sedentes servate & facite universalissimè loquitur;* Unde S. Augustinus epist. 165. cit. ait, *etiam de malis Præpositis cautum nobis esse illà Salvatoris monitione: que dicunt vobis, facite; quia ex cathedra non nisi bona & salutaria dicunt.* Unde negatur instituta paritas inter Controversias de justitia similibusq; agilibus, & de Fide ac Religione. Nam in prioribus sufficit ferre sententiam, quæ hic & nunc omnibus rite expensis formaliter justa & honesta confertur; habet quippe veritatem judicij practicam. In posterioribus verò nunquam habetur veritas judicij, nisi hoc etiam materialiter cum re ipsa consentiat, quem consensum veritas illa judicij, cum speculativa sit, necessariò requirit.

VIII. Instant, errasse saltem Sacerdotes Veteris Testamenti in sententia, quam tulerunt adversus Christum, quamvis sint inter Pontificios, qui contra iam blasphemiam defendunt. Respon. hoc posterius esse hæreticam calumniam; aut nominetur vel unus probatus Scriptor? Prius illud esse verum, sed nihil ad rem; etenim privilegium illud *advocatus* in Cathedra Moysis non nisi usque ad Christum durare debebat; vnde ipso Christo jam exhibito tanquam vero summo Sacerdote totius generis humani cessavit illa infallibilis assistentia Spiritus S. & quidem paulatim, ita ut

quando Matth. 26. v. 57. iniquè Caipha pronuntiavit de Christo, quod mortis reus esset, Synagoga agonizaret; mox expiratura cum vivifica morte verissimi Summi Pontificis JESU Christi. Videri potest Becanus in Manuali Lib. 1. cap. 5. n. 47. & sequent.

IX. Probat 4. Sicuti se habent Leges in Republ. civili, ita se habent Sæcræ Scripturæ in Ecclesia. Atqui Leges in Republ. civili non judicant, nec sunt unica norma omnium Controversiarum, sed alius vivus Judex constituitur, qui præter scriptas Leges etiam rationem loci ac consuetudinis habeat. Ergo etiam Scriptura in Ecclesia non est Judex & unica norma omnium controversiarum, sed vivo Judice opus est, nimirum Summo Pontifice & alijs Præfulibus Ecclesiæ. Minor constat experientiâ. Major probatur. Quia Christus Ecclesiam suam comparat Regno terreno Matth. 18. Ergo quidquid bonum & laudabile in regnis terrestribus reperitur, etiam in Ecclesia concedi debet. Hujus probationis vim non effugiunt Adversarij opponendo dictum Christi Joan. 18. v. 36. *Regnum meum non est in hoc mundo:* Et Apostolum Rom. 12. v. 2. *Nolite conformari huic sæculo.* Nam hæc non repugnant nostro argumento; quia Christus loc. cit. non negat similitudinem inter suum & mundanum regnum, sed negat identitatem essentiæ; etenim regna mundana consistunt in temporali dominio, opibus, potentia &c. Christi verò regnum erat spirituale in animos hominum dominans & ad cælestem beatitudinem directum. Apostolus quoque non vetat laudabilem ordinem terrestris regiminis ad spirituale regimè Ecclesiæ accommodare, sed malos mores sæculi imitari, ut patet ex adjuncta statim voce: *Sed reformamini in vita scilicet & morum ratione,* ut exponit Tirinus. Certè Christus sæpius argumentatus fuit à similitudine Regum Luc. 14. v. 31. *Quis Rex iturus committere bellum adversus alium Regem non prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se; aliquando adhuc illo longè agente legationem mittens rogat ea, que pacis sunt; que argumentatio nihil valeret, si nulla esset similitudo inter cæleste & terrestre regnum.*

X. Probat 5. ex conditionibus, quas supra §. 1. attulimus, quæ non conveniunt Scripturæ; siquidè non ita clarè lites & causas determinat, ut partes litigantes sciant, quis absolutus, quis condemnatus sit; imò ex hoc nasci Controversiæ videntur. Unde hæretici non solum nobiscum, sed etiam inter se perpetuò litigant, & quilibet pro se scripturam allegat, nec agnoscit se condemnatum. E. G. Verba illa Matth. 26. v. 26. *hoc est corpus meum.* Et v. 28. *hic est sanguis meus.* Deum immortalem! qualem & quantà Controversiam inter Lutheranos & Calvinistas excitârunt: & quàm diversam eorum intelligentiam habent isti, ac illi! Atque hæc lis nec potuit hætenus, nec poterit deinceps inter illos decidi, sicuti plurimæ aliæ magni momenti Controversiæ; ex quibus defectu Judicis supremi ac vivi absque decisione relictis aliæ & aliæ Sæctæ ac novæ Fides fuerunt exortæ, ut Sectarij jure meritissimo lamentari, & verbis illis D. Hilary ad Constantium dicere possint: *Periculosum nobis admodum, atq; etiam miserabile est, tot nunc fides existere, quot voluntates, & nobis tot doctrinas esse, quot mores &c. excidimus eâ fide, qua una est, & dum plures sunt, ad id ceperunt esse, ut nulla sit.*

XI. Dicunt Adversarij 1. Diffentione illæ & Sectæ plures non oriuntur, per se ex defectu Judicis supremi ac vivi, sed merè per accidens, ideòq; non malè rejicitur Judex supremus ac vivus. Verùm non agnoscere Judicem supremum ac Vivum est causa per se, & ex se diffentionum & Sectarum, non solum per accidens; sicuti in civitate defectus Judicis nch est causa per accidens sed per se diffentionis & confusionis, ex qua tandem ruina talis urbis sequitur. 2. Deus non vult in hac vita finiri Controversias, cum oporteat hæreses esse 1. Cor. II. v. 19. sed ultimam sententiam referre vult ad extremum Judicium. Verùm perabsurdum est dicere, quod Deus nolit, in hac vita finiri lites & controversias, cum nihil magis commendârit, quàm Unionem & charitatem, quæ litiibus præsertim ad Religionem spectantibus maxime labefactatur; alioquin minis bene ordinasset Rempubl. Ecclesiasticam, quàm Civilem, cui non defunt media ad lites componendas. Quod autem Apostolus dicat, oportere hæreses esse, non habet hunc sensum, quasi velit Deus, hæreses esse, sed quod velit permittere: & ita necessarium sit ad explorandam fidelium constantiam, sicuti ad eorundem patientiam probandam permittit varias tentationes & injurias impiorum. 3. Ecclesia quoque non finit omnes lites, sed non obstante ejus judicio durant perpetuæ Controversiæ. Verùm hoc non provenit ex defectu judicij Ecclesiastici, siquidem per istud clarissimè definituntur lites, sed ex pertinacia hominum, qui nolunt ejus judicio stare, sed recurrunt ad scripturam, sub cujus obscuritate diutius latere malunt, sicuti omnes hæretici in more habuerunt Arriani, Eutyriani, Pelagiani &c. & nunc Lutherani ac Calvinistæ. Nonne melius est, sequi SS. Patres & Doctores Ecclesiæ, qui præter Scripturam etiam Traditiones, atque Ecclesiæ Definitiones acceperunt, ut vidimus supra Contr. III. §. XVII. sufficiat hic solus S. Augustinus, qui epist. 104. cap. 14. siquid, ait, tota per orbem frequentat Ecclesiæ quin ita faciendam sit, disputare insolentissima insania est.

XII. Probatur. 6. Si solum Verbum Dei scriptum esset Judex Controversiarum, ut hodie plerique volunt hæretici, tunc disertè ac in terminis absque ullo discursu deberent Sectarij omnes suæ fidei articulos ex Scriptura ostendere, v. g. Papam esse Anti-Christum, Missam esse abominationem, cultum Imaginum esse idololatriam &c. Sed consequens est illis impossibile. Ergo &c. Min. probatur. Nam si adhibeatur discursus humanus, tunc fides non fundabitur in sola Scriptura, sed etiam in ratione humana non solum quoad formam Syllogisticam, sed plerumq; etiam quoad alteram præmissam, quæ communiter est naturalis.

XIII. Probatur denique 7. ex praxi Ecclesiæ, quæ à tempore Apostolorum exortas hæreses vel per Papam, vel per Concilia Generalia à Papa approbata ita semper decidit, ac diremit, ut qui eorum sententiæ acquiescere noluerunt, pro hæreticis haberentur ac damnarentur. Sic prima controversia fuit, an Pascha deberet celebrari cum Judæis die 14. primi mensis, ut volebant multi in Asia, qui propterea Quartadecimani appellabantur: an verò die Dominico, ut nunc fit? quæ tandem post multa Concilia Episcoporum decisâ

ac finita est à Victore Papa An. Christi 178. ut refert Eusebius Lib. 5. cap. 23. Sic gravissima Controversia fuit, an Spiritus Sanctus esset Deus? Negarunt Macedoniani, qui damnati fuerunt in Generali Concilio Constantinopolitano i. sub Damaso Papa & Theodosio Imperatore An. Christi 383. Sic non levis Controversia fuit, an homo sine gratia Dei per solas vires naturæ possit implere Legem, si velit? Affirmarunt Pelagiani & Cœlestius, qui damnati sunt in Concilio Carthaginensi & Milevitano sub Innocentio I. Papa anno Christi 416. juxta computum Card. Baronij. Plura similia exempla videri possunt apud Becanum & alios Authores passim.

XIV. Doctrina quarta. Quamvis Summus Pontifex Lege Naturæ ante suam definitionem & decisionem Controversiarum fidei magnâ diligentiam veritatem inquirere, aliosque viros doctos consultare teneatur (quia Deus humana media non vult negligi, adeoque nec omissionem hujus industriae permittit) si tamen ex hypothesi debitam illam consultationem & deliberationem omitteret, nihilominus infallibilis foret in dubijs Fidei causis dijudicandis. Ita Gregorius de Valentia Tom. 3. Disp. 1. Q. 1. pun. 7. §. 40. Granada in 22. Controv. 1. Tr. 7. Disput. 2. Sect. 2. num. 13. Lezana ibid. Tract. 1. Disput. 8. quæst. 5. Ludovicus Caspensis in cursu Theolog. Tom. 2. L. 15. D. 2. Sect. 7. num. 68. & post plures Palao Tom. 1. Tract. 4. D. 1. pun. 5. num. 12. ubi ait, non esse necessariam hanc diligentiam, ut Pontifex certò & infallibiliter definiat, sed solum ut prudenter & absque peccato procedat, Deo nimirum supplente in gratiam totius Ecclesiæ, cui aliàs parùm prodesset Pontificis infallibilitas; quis enim certus esset, eum in suo decreto debitam sedulitatem adhibuisse. Ratio doctrinæ nostræ desumitur ex eo, quod assistentia Spiritus Sancti S. Petro ac Successoribus à Deo in definiendo promissa fuerit absolute, non conditionate, si adhibeat diligentiam. Videri potest Diana Part. II. Tr. 2. de infallib. decret. Pontif. Pefol. 5. Ubi in oppositum adducit M. Gravinam in Controv. fol. 144. Sed nulla firma ratione suffultum. Ut autem apparet, Regimen Summi Pontificis & judicium in decidendis Fidei ac Religionis controversijs à Deo magis dirigi, quàm ab humana prudentia pendere, expe ientia docuit, Pontifices doctos & sagaces minis feliciter gubernasse, quàm simpliciores, ut observavit Spondanus An. 877. num. 4. Sicuti etiam Card. Baronius Tom. V. anno Christi 397. num. 33. advertit, eos Pontifices, qui aliquid Ecclesiæ perniciosum machinabantur, repentinâ morte sublato fuisse. Exemplo sit Joannes XXII. qui cum privatim in eo errore versaretur, animas Beatorum non visuras Deum ante resurrectionem, simul ac in id incubuit, ut eam quæstionem definiret, prius morte sublatus est, quàm in aliquem decisionis errorem incideret, ut ex Villano Lib. II. histor. cap. 19. pluribus recenset Bellarminus L. 4. de Pontif. cap. 14. Simile quid de Sixto V. refert Tanner Tom. 3. D. 1. Q. 4. num. 264. & seq.

gha
er
ologia
emica
XI
9

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETI
CORUM.

XV. **E**rror primus. DEUS sive Christus solus infallibilis est Controversiarum Fidei Judex & Magister. Ita Lutherani, Calvinistae, alijque hodie Sectarij omnes, etsi alij deinde aliter se explicent, ut videbimus. Moventur auctoritate Sacrae Scripturae, in qua, ajunt, significari, unum esse Judicem & Legislatorem, nempe Deum Isajæ 33. v. 22. Dominus Judex noster, Dominus Legisfer noster, Jacobi 4. v. 12. Unus est Legislator & Judex, qui potest perdere & liberare, Matth. 23. v. 8. Magister veser unus est Christus. Ergo præter Deum non est admittendus alius supremus Controversiarum Judex. Confirmant. Moyses olim in quæstionibus dubijs ad Deum confugit. Num. cap. 9. v. 8. & alibi. Ergo in hoc etiam statu Deus erit Judex Controversiarum Fidei, non Papa.

XVI. Errorum hunc luculenter refutant conditiones, quas supra ad Judicem supremum Controversiarum requisivimus ex communi omnium sententia, præsertim 2. 4. & 5. Sancti Patres etiam aperte eundem refellunt, dum identidem ad Romanum Pontificem nos allegant veluti unicum in decretis ac definitionibus suis veræ ac sinceræ doctrinæ Magistrum. Vide S. Hieronymum & Maximinianum Patriarcham Constantinopolitanum Controv. priore §. 10. relatos, & plures apud Bezanum Lib. 3. de Republ. Ecclesiast. cap. 4. num. 44. Adducta loca ex Scriptura nihil convincunt. Quando Scriptura universim judicat, unum esse Judicem, & Legislatorem, nempe Deum, loquitur de Principe, Legislatore, & Magistro eminentissimo & simpliciter independente; si enim velint Adversarij, eos textus esse absolute intelligendos, tunc nimium probant, & tollunt omnes etiam supremos Principes Politicos, Legislatores, & Magistratus. Speciatim Isajæ cap. 33. loquitur de Christo, quatenus est Judex operum factorum: non autem quatenus est Judex Controversiarum inter litigantes de fide. Jacobus autem cap. 4. loquitur de Deo, quatenus est Judex occultus. Matthæus denique cap. 23. loquitur de Christo, quatenus in terris existens erat Caput ac Princeps Ecclesiæ; tunc enim fuisse Judicem Controversiarum, non negamus, etsi non semper officium Judicis exercuerit, quando scilicet non perspicue & clarè fuit locutus. Ad confirmationem distinguitur antecedens; confugit Moyses Num. 9. ad Deum tanquam ad Judicem, negatur: ad Legislatorem, conceditur. Et quidquid sit de antecedente, negatur consequentia; quia Deus de via ordinaria non solet jam prædicto modo perspicue loqui. Videantur Cornelius à Lapide, Tirinus & alij SS. Script. Interpretes in cit. locos.

XVII. **E**rror secundus. Spiritus Sanctus, prout per Scripturam loquitur, seu Scriptura Sacra est in hoc rerum statu proprius Controversiarum fidei Judex. Ita Molinæus in suo Neo-Papatu fol. 88. & universim Lutherani apud Gerhardum Lib. 1. Part. 1. à fol. 85. Calviniani apud Amesium To. 1. à fol. 42. alijque hæretici. Probant 1. ex Sacra Scriptura, quæ sibi hoc judicium reservavit. Isajæ

8. v. 20. Nuncquid non populus à Deo suo requiret pro vivis & mortuis. Ad Legem magis, & ad testimonium. Ibid. cap. 2. v. 3. De Sion exibit Lex, & Verbum Domini de Jerusalem, & judicabit Gentes, & arguet populos multos Luc. 16. v. 29. Habent Moysen & Prophetas, audiant illos. Joan. 5. v. 39. Scrutamini Scripturas. Ibid. v. 45. nolite putare, quod ego sim accusaturus vos apud Patrem: est, qui accuset Moyses, id est, lex Mosaica vos condemnat. Ibid. 7. v. 51. Nuncquid Lex nostra judicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, & cognoverit, quid faciat? Rursus Ibid. 12. v. 48. Sermo, quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die. Ad Rom. 2. v. 12. quicumque, in lege peccaverint, per legem judicabuntur. Ad Hebræos 4. v. 12. Vivus est Sermo Dei & efficax & discretor cogitationum & intentionum cordis, Græcè *ῥητορ* judicativus. Actor. 6. v. 11. Laudantur Berocenses, quod erant quotidie scrutantes scripturas, si se ita hæc haberent. Accedit, quod in extremo, iudicio sententia ex sola Scriptura profertur. Ergo in hac vita omnes causæ ex S. Scriptura decidendæ sunt. Consequentia inde constat, quod omnes causæ ad extremum iudicium deferentur. Antec. tradit ipsa Sac. Scriptura tum Danielis 7. v. 10. iudicium Sedis, & libri aperti sunt, scilicet Bibliorum, tum Apocal. 20. v. 12. iudicati sunt mortui ex his, quæ erant in libris scilicet. Canonicis, tum Rom. 2. v. 16. iudicabit Deus occulta hominum secundum Evangelium meum. Ergo Scriptura erit Supremus rerum Judex.

XVIII. Probant 2. ex Jure Canonico & Parribus, Sacri Canones denegant Pontifici infallibilitatem in iudicando, causa 35. quæst. 9. Canon quod quis Can. Apostolicæ. Can. sententiam, qui asserunt, Romanum Pontificem, si erret, corrigi posse: *Sententiam Romanæ Sedis non negamus posse in melius commutari.* Ita Nicolaus episc. 7. ad Michaelæm Imperat. ex qua capit. Sententiam fuit de sumptum. Can. re-latum dist. 37. ait, Clemens I. *Ex ipsis scripturis capere veritatis sensum oportet.* S. Benedictus cap. ult. regul. Sac. Scripturam perfectissimam normam vitæ appellat: *qua enim pagina, inquit, aut quis sermo divine auctoritatis Veteris ac Novi Testamenti non est perfectissima norma vitæ humanæ?* S. Augustinus Lib. 2. contra Cresconium cap. 32. ad Scripta Cypriani sibi objecta respondet: *quod in eis Scripturarum divinarum auctoritati congruit, cum laude ejus recipio: quod autem non congruit, cum pace ejus respicio.*

XIX. Probant 3. ex ratione. Prima. Si Ecclesia est Judex Controversiarum, tunc præponitur Spiritu Sancto. Consequens est blasphemum. Ergo & Antecedens. Prob. Mai. Tum quia nos negamus, Spiritum Sanctum esse Judicem, adeoq; plus tribuimus Ecclesiæ, quam Spiritu Sancto. Tum quia ipsum Spiritum Sanctum Ecclesiæ subijcimus tanquam Judici, qui enim de verbis alijus judicat, de ipso judicare censetur; nos autem dicimus, Ecclesiam de verbis Spiritus Sancti judicare, utrum authentica sint, & quem sensum habeant. *Secunda.* Si ad officium Ecclesiæ pertinet judicare de vero sensu & interpretatione scripturæ (sicuti ait professio fidei Catholicæ à Pio IV. præscripta) cur non edit certam aliquam interpretationem totius Scripturæ, ne inter tam varios Interpretes incerti fluctuemus. *Tertia.* Quid si de ipsa Ecclesia, & ejus judiciali potestate disputetur, quis tunc erit Judex? certè non Ecclesia; quippe in propria causa nemo potest esse Judex. *Quarta.* Commune & receptum Canonistarum axioma

axioma est: De occultis non judicat Ecclesia. Sed actus fidei sunt occulti. Ergo de ijs non judicat Ecclesia. Ergo alius assignari debet Judex; Non potest autem, nisi Scriptura. *Quinta.* Aristoteles cæterique Philosophi docent, quod Regula & Norma debeat esse immutabilis nullam additionem vel detractionem admittens, ut patet in mensuris & ponderibus. Sed decreta Ecclesiæ sunt mutabilia, possuntque augeri vel minui, ut constat experientiâ Bullarum Pontificiarum & novorum Conciliorum. Ergo ejus decreta non sunt Regula & Norma fidei.

XX. Errorem hunc pestilentem, qui, ut ait Tanner Tom. 3. Dispat. 1. q. 3. num. 11. est Caput omnium cæterorum, rejiciunt omnes Catholici, ut parte priore vidimus, idq; jure meritissimo. Tum quia Patres antiqui contra hæreticos disputantes cognoscunt in Ecclesia aliquem sub Christo Judicem visibilem, qui in rebus dubijs consuli possit, & ad quem spectet, quid credendum aut non credendum sit, certò statuere. Tum quia Sacra Scriptura non est persona aliqua publica; & licet eadem secundum se solitariè spectata foret quarundam Controversiarum Judex, omnium tamen dici nequaquam potest. V. G. *quoniam libri sint divini? quoniam partes libri sint Canonice? Num Christi Mater semper manserit Virgo? Num Infantes sint baptizandi? &c.* Tum quia Spiritus Sanctus non est visibilis: Ecclesia autem visibilis requirit Judicem visibilem. Idem divinus Spiritus, prout in Scripturis loqui censetur, non pronuntiat clarè sententiam, ita ut pars utraque litigantium clarè perspicat, cuiam causa adjudicetur; Hinc inter ipsos adversarios solam Scripturam pro Judice agnoscences irreconciliabiles sunt discordiæ, & de sola justificatione viginti diversissimas esse sententias secundum Scripturam inter Confessionistas, sateret Osiander Apologia contra Philippum. Lutherus Tom. 2. Witteb. fol. 126. prolixè exponit, qualibus & quantis torturis eum afficiant verba ista Christi: *Hoc est corpus meum.*

XXI. Probationes Adversariorum infirmæ sunt; prius autem quam eas diluamus, advertendum, confundi ab ipsis Judicem cum Norma seu Regula, quæ tamen duo multum inter se differunt. Nam Judex dicitur, qui causâ legitimè cognitâ fert sententiam cum autoritate perspicuè inter litigantes: Norma vero est illa mensura, secundum quam fertur sententia à Judice; sicuti Architectus dicitur, qui ædificium educit: idea verò sive similitudo, secundum quam domus ab ipso extruitur & ædificatur. In hunc sensum intelligendus D. Augustinus Lib. 2. de Nupt & Concupis. ad Valer. cap. 33. scribens: *hec Controversia Judicem quarit; judicet igitur Christus, judicet cum illo Apostolus, quia in Apostolo ipse loquitur Christus.* Nam Christus & Apostolus in hoc rerum statu, quatenus censentur adhuc loqui in Scriptura, judicant solum improprie; quia sunt Norma, secundum quam verus Judex Papa sententiam suam ferre debet.

XXII. Respon. primò ad 1. Probationem ex Sac. Scriptura. Distinguendo. Scriptura Sacra reservavit sibi hoc judicium per modum Judicis, negatur: per modum Normæ seu Regulæ, conceditur. *Isajæ 8.* sensum longè alium esse, quam Adversarij sibi imaginantur, ut videre est apud Tinnium & alios Interpretes. Consulebant Judæi

Pythionissas & Divinos, qui nihil Legi consonum prænuntiabant. Tales ergo consulentes, atque ob hoc facientes contra Legem redarguit Propheta, eosque remittit ad Legem & ad Testimonium (quo etiam significatur ipsa Lex divina, vel certè Arca testimonij vel propitiatorium, ibi enim consuli volebat Deus de successu belli aliorumq; negotiorum) ut viderent, se contra Legem facere, cujus observationi magis, quam falsis Pythonissarum prædictionibus inhærere illos volebat; quod si profani Judæi facere contempserint, & ad magos atque Ariolas ire perrexerint, prædicat Propheta, non lucem veritatis & prosperitatis sed perpetuam noctem & errorum tenebras esse assecuturos. Et quid hoc ad Judicem Controversiarum? Eiusdem *Isajæ cap. 2.* sensum nobis etiam non officere; quia per *Verbum* ibi non intelligitur Scriptura, sed Christus, qui est Verbum Patris: aut certè intelligitur Lex Nova seu Evægelij prædicatio non per modum Judicis, sed Normæ, juxta quam Christus per Vicarium suum in terris Controversias decideret, in Fide, & Religione exortas; atque ita judicabit Gentes & arguet populos; *Luc. 16.* Responsum Epuloni datum, cum peteret mitti Lazarum ad suos Fratres, qui illos ad vitæ commutationem cohortaretur, ne & ipsi in orcum deciderent, remittendo eos, ad S. Scripturam, *habent Moysen & Prophetas, illos audiant &c.* non probare, in omnibus casibus recurrendum ad Scripturam, sed in rebus tantum clarè per Scripturam explicatis, qualis fuit causa fratrum Epulonis, qui nimio luxui indulgebant, quod & frequenter & perspicuè reprehendit Sacra Scriptura.

XXIII. Joan. 5. verborum Christi sensum esse, ut remittat ad scripturas, non tanquam ad Judicem, sed tanquam ad Testem. Nam cum Judæi neque testimonio Joannis, neque divini Patris moverentur, ut crederent, Christum esse Messiam, ait Christus: *Scrutamini Scripturas, quæ testimonium perhibent ad me.* Voluit ergo eos testimonio Sac. Scripturarum, quas Judæi maximi faciebant, convincere & inducere illos ad credendum, quod ipse verus sit promissus Messias, quo factò S. Scripturam non Judicem, sed Testem statuit. *Ibidem v. 45.* Verborum Christi sensum esse: peccatum vestrum contra Moysen commissum (quia nolulistis ipsi credere) facit vos reos in iudicio Dei; hic autem sensus non officit doctrinæ nostræ. Joannis 7. Nicodemum in publico confesso defendendo Christum, ne inauditus damnaretur, idq; probando ex Sacra Scriptura Veteris Legis, quæ neminem damnat inauditum, non velle dicere, Leges per se immediatè judicare; quomodo enim lex audiret reum excusantem? sed mediatè per vivos Judices, quibus hanc formâ judicandi Deus dedit *Deut. 19. v. 17.* ut nemo inauditus damnaretur. Joannem cap. 12. loqui non de iudicio hujus vitæ, de quo tamen hic solum disputatur, sed de extremo iudicio; unde verbum judicandi non sumitur pro ipsa prolacione sententiæ, sed pro argumento, quo reus convinci & cõdemnari queat, sublatâ omni excusatione ignorantie, cum Christus toties & tam clarè prædicavit veritatem; hoc enim loquendi modo omnia ad iudicium concurrentia dicuntur judicare, v. g. si quis in foro Civitatis accusatus prodicionis crimen negaret, & prolatis litteris ad eundem datis convinceretur, Judex diceret, litteræ te judicant, & con-

gha.
er
ologia
emica
XI
9.

& condemnant, hoc est, evidens argumentum præbent justè condemnans &c.

XXIV. Roman. 2. quicumque in Lege peccaverunt, judicatum iri per legem tanquam per Judicem; negamus: tanquam per Normam, concedimus. Hebr. 4. verba Apostoli non procedere de Scriptura, sed de Christo, qui est verbum Dei, ut teste Tirnio passim exponunt Patres, & patet ex versu sequenti: *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus; omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus, ad quem nobis sermo; quæ planè non conveniunt Scripturæ oculis destitutæ, nec ad illam locutus est Paulus, sed ad Christum, de quo mox v. 14. subdit: habentes ergo Pontificem magnum, qui penetravit celum; Jesum Filium Dei &c.* Actor. 6. Berdenses scrutatos fuisse Scripturam nõ tanquam Judicem, sed tanquam Normam, ut videlicet viderent, an illa sic in Scripturis haberentur, prout quædam ad Passionem & Resurrectionem Christi confirmandam citabat Paulus; non quod ipsi de Passione dubitarent, quam tot miraculis videbant stabilitam, sed ut infolidarentur magis & alios docere possent, si ea, quæ prædicabat Paulus, à Prophetis tot antè annis prædicta deprehenderent. Ad id, quod adjicitur de extremo judicio jam dictum fuisse, agi hîc de judicio vitæ hujus, non de judicio extremo; ad quod referuntur quidè omnia hominum cogitationes verba & opera judicanda secundum Legem & doctrinam Sacræ Scripturæ & Evangelij, tanquam Normæ; non verò tanquam Judicis. Nam Judex solus erit Christus, cui aperti tunc erunt libri, id est, conscientiæ omnium, in quibus videbit cuncta, & illa judicabit, prout conformia & difformia prædictæ Legi & doctrinæ Sac. Scripturarum fuerint. In quem sensum Interpretes Daniele 7. Apocalypf. 20. & Apostolum 2. ad Rom. exponunt.

XXV. Respon. secundò ad probationem ex jure Canon. & Patribus. Negando vel ab his, vel ab illo contra Infallibilitatem Papæ quicquam asseri. Adversarij intelligentiam infallibilitatis Papalis invertunt, trahuntq; ad judicia jurisdictionalia, & morum decreta seu Constitutiones Ecclesiasticas, quæ ad doctrinam fidei non spectant, sed mutatis circumstantijs mutari possunt, & solent, imò debent, si præsertim aliquid per falsa narrata sub & per obreptionem, fuit imperatum. In quibus casibus Legislator quilibet potestatem habet sententiam ac Legem suam imutandi & reformandi; siquidem nullus adeo sapiens est, ut præcire possit, num Leges & decreta sua, quæ nunc utilia & æqua apparent, futuri temporis noxiam quandam rationem non sint contractura, aut detectura; quippe incerte providentiæ nostræ. Sapient. 9. v. 14. Itaque allati Canones, & quicumque correctionem & emendationem admittunt, intelligendi sunt de quæstionibus facti, & particularibus mandatis, judiciis, decretis morum & constitutionibus Ecclesiasticis, in quibus Papam errare posse, non negamus. Clemens I. ajens, *ex ipsis Scripturis sensum veritatis capere oportet, statim explicat se subjunctis verbis: cum Scriptura facile, in alium sensum detorque-ri possint, quilibet scientiam Scripturarum, discere debet ab eo, qui eam secundum veritatem sibi à Majoribus traditam servat.* Vult igitur Papa Sacram Scripturam intelligi oportere juxta Traditionem Christianam; & non alium sensum ex Philosophicis & Gentilibus scientijs eidem immiseri debere. Ad

Sacram Benedictum. Bene illum dicere, Scripturam esse rectissimam Normam vitæ humanæ. Sed 1. non ait, Sacram Scripturam esse Normam perfectissimam, uti eam citant Adversarij, sed rectissimam; etenim potest esse Norma rectissima pro una parte domus, non perfectissima pro domo tota. 2. non vult, quamlibet paginam esse Normam perfectissimam, cum non comprehendat in se tota Biblia. 3. Non solam Scripturam vocat Normam vitæ, sed statim adjungit doctrinam Sanctorum Patrum; dicens, *observantiam hujus docere hominem ad sublimitatem perfectionis &c.* S. Augustinus neque in hoc, neque in alijs suis difficilibus dubijs ad solam Scripturam, sed ad Ecclesiam appellavit, cujus Caput est Romanus Pontifex; sicuti etiam in præfati facit mox subjungens: *Non accipio, inquam, quod de baptizandis hæreticis B. Cyprianus sentit, quia hoc Ecclesia non accipit, pro qua B. Cyprianus sanguinem fudit.* Hæc summa est appellatio D. Augustini; hic se firmat: *Ecclesia accipit: Ecclesia non accipit.*

XXVI. Respon. tertio ad probationem ex ratione. Ad 1. Negando sequelam Majoris; quia non negamus, Spiritum Sanctum esse Judicem, sed negamus judicare per solam Scripturam: verum etiam per inspirationem Ecclesiæ factas, ut proinde non excludamus eum à judicio, cum ipse per Ecclesiam judicet. Quare propositio illa: qui judicat de verbis alicujus, de eodem judicare censetur, distinguenda est: si constat, esse illius verba, & hoc sensu prolata, & adhuc disputetur, an rectè dixerit, concedimus, illum judicari: Si verò nescitur, an sint illius verba, an hoc sensu prolata, negamus illum judicari; quia in tali casu non judicantur illius verba formaliter, quatenus illius sunt, sed tantum materialiter. Ita passim in tribunalibus fieri solet, quando profertur aliquod decretum Papæ; ante omnia disquiritur, an sit legitimum Breve, an fictitium? & tunc de ipso Pontifice non judicatur: si verò constat de autoritate Brevis, deq; sensu illius, & adhuc dubitetur, an sit recipiendum, tunc sanè ipse Papa in judicium vocaretur. Sed hoc modo Ecclesia non procedit cum Spiritu Sancto, sed tantum indagat, an sint ejus verba, & quo sensu fuerint prolata. Ad 2. Ecclesiam nihil posse definire, nisi quod Spiritus Sanctus suggerit, uti olim Balaam ad Regem Bala dixit Num. 23. v. 12. Hactenus autem non suggestit certum sensum totius Scripturæ; quia magis expedit, aliqua manere occulta, ut subtilia ingenia habeant honestam occupationem in sensu rimando, & sic plures faciant Scripturam, quam nimis claram contempnerent; sicut Augustinus ante suam conversionem libros Moyfis tanquam nimis apertos contempsit. Ad 3. Supremum Judicem, qui semel receptus & agnitus fuit pro legitimo judice, etiam in propria causa posse judicare; sicuti Reges & Principes suos rebelles judicant. Ergo cum Ecclesia Catholica multis sæculis sit recepta & agnita, adedq; stet in possessione suæ jurisdictionis, etiam ipsa de rebellibus hæreticis judicare potest, excommunicando &c. Ad 4. axioma illud Canonistarum (de occultis non judicat Ecclesia) distinguendo; de judicio vindicativo penam infligente, concedimus: de judicio definitivo causæ veritatem determinante, negamus. Distingunt idipsum Theologi in moralibus, & concedunt in foro externo: Negant in interno;

interno; unde patet, absolute illud & illimitate adhiberi non posse. Ad 5. denique probationem ex ratione; quod regula debeat esse immutabilis nullam ferens additionem aut detractionem, iterum distinguendo; si talis additio formam regulæ, secundum quam alia regulantur, immutet, concedimus; si non immutet; negamus v. g. si in dimetiendis pannis uni ulnæ addatur mediâ ulnâ, hæc non destruit priorem ulnam; ita præcis Ecclesiæ decretis adduntur nova prioribus non contraria, uti fit in definitionibus fidei, quod semel est decretum, nunquam amplius mutatur, etiamsi alia prius incognita definiantur.

XXVII. *Error tertius.* Privatus cuiusque instinctus seu inspiratio Spiritus Sancti prout iste per privatam & internam inspirationem homini loquitur, est in hoc rerum cursu Controversiarum fidei Iudex. Ita Libertini & Schwenckfeldiani teste Tanner Tom. 3. D. 1. Q. 3. num. 12. Allegant pro se duplicem Scripturæ locum. 1. habetur 1. Corinth. 2. v. 15. ubi dicitur: *Spiritualis autem iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur.* 2. habetur 2. Cor. 3. v. 6. ubi dicitur: *Littera occidit, Spiritus autem vivificat;* unde colligere volunt, ad solum instinctum esse attendendum. Hjs adspicularum Amefius, qui ex illo 1. Joan. 4. v. 1. *nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint,* infert, etiam Papæ & Concilij sententiam esse probandam & examinandam, ac consequenter Judicem Controversiarum non esse Papam, sed proprium cuiusque instinctum. Et universim subscribunt Calvinistæ, ut patet ex catechismo Ursini in proleg. general. §. 4. num. 14. hisce verbis: *Hæc igitur reificatione Spiritus S. in cordibus credentium Sancti omnes ad Christum conversti de certitudine doctrinæ cælestis firmissime confirmantur & obsequantur; atq. hoc argumentum, ut est Renatorum proprium, ita solum corda eorum non solum de veritate & auctoritate S. Scripturæ convincit, sed etiam persuadet, ut assentiantur, & in ea firmiter acquiescant.*

XXVIII. Hunc errorem rejiciunt juremeritissimo omnes Orthodoxi. Tum quia constat ex Scriptura, quod Deus nos doceat (saltem ordinariè) mysteria fidei per externum hominum ministerium, ut significatur Rom. 10. v. 17. *Fides ex auditu, auditus autem per Verbum Christi,* prædicarum scilicet exterius, non interius merè instinctum. Tum quia communiter agnosci certò non potest, num Spiritus Sanctus, an alius loquatur per inspirationem internam seu instinctum, quem subinde in se experiuntur homines, ut patet vel ex ipsis hæreticis, qui dicunt, se habere & audire inspirationem Spiritus Sancti interius loquentis, & tamen sæpe tradunt doctrinas & hæreses contrarias. Tum qui internus instinctus non est persona publica, nec potest evidenter agnosci ab utraque litigantium parte, cui adjudicetur causa; instinctus enim unus non potest cognosci ab altero: nec vicissim hujus ab illo. Placet adjungere verba D. Hieronymi contra Lucif. §. 1. inquit, *non sit in Ecclesia una eminens potestas, tot futura sunt schismata, quot Sacerdotes.* Quæ verba asserens Arriaga Tom. 5. Disp. 9. Sect. 4. num. 20. subjungit: quid, quæso, diceret Hieronymus, si nostros hæreticos audiret non solum Sacerdotibus & Doctoribus Scripturæ intelligentiam ex solo proprio cerebro committentes, sed Sartoribus, Sutoribus, Lanionibus, vellulis, rusticis id ita concedentes, ut nullus horum teneatur alterius iudicium sequi, sed suum am-

plecti instinctum. Arbitror, Hieronymum dicturum, hujus erroris Authores debere in stultorum caveas, utpote mortalium amentissimos, includi. Hinc Molinæus fol. 92. negat, ita sentire Calvinistas. Sed verba Ursini sunt clara. Videri potest Calvinus Lib. 1. Instit. cap. 7. num. 7. Ubi hoc ipsum tradit.

XXIX. Respon. 1. ad priorem locum 1. Cor. 2. non intelligi ibi quemlibet fidelem, sed perfectum, qui sequitur fidem ac doctrinam Spiritus Sancti, ut sensus sit, qui sequitur Doctorem ac Rectorem Spiritum Sanctum, discernit inter spiritualia & animalia, quæ scilicet fugienda & sequenda sint, atque hoc faciendo à nemine quæ talis redarguitur & condemnatur. Cæterum simplices egere Pastoribus ac Doctoribus, manifeste tradit S. Paulus Ephes. 4. v. 11. *Et ipse dedit quosdam, quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Doctores & Pastores ad consummationem Sanctorum,* id est, ut Christiani in suo quisque gradu perficiantur.

XXX. Respon. 2. ad posteriorem locum 2. Cor. 3. sensum hujus posse esse duplicem. Primus. Scriptura secundum exteriorem corticem verborum spectata sæpe (occasionaliter) inducit in errorem, hæresin, ac mortem: bene autem intellecta secundum internum & genuinum sensum dirigit tum ad vitam animæ, quæ est charitas, tum ad vitam æternam. Secundus. Scriptura spectata nudè secundum se seu signa sua, quibus constat, non præbet vitam animæ, sed relinquit eam in morte seu peccatis: gratia autem, quæ in Sacra Scriptura est promissa, ea dat vitam æternam. Hinc facile apparet, errare hæreticos, nihilque ipsis ex allatis textibus parocinari. Videri possunt Cornel. à Lapide, Tirinus, & alij Interpretes in cit textum.

Respon. 3. ad Amefium; negando ex Joan. 1. cap. 4. v. 1. Sequi, quod omnia membra Ecclesiæ id præstare; hoc est, Spiritus probare debeant: item quod circa omnia omnino absolute etiam illa, quæ jam communi Ecclesiæ sensu examinata & probata fuerunt. Itaque soli Spiritus privati & dubij sub examen cadunt: nec sub examen omnium, sed peritorum, & quibus id ex officio incumbit; multi enim, imò plerique de plebe sunt, qui de hujusmodi dubijs spiritibus & doctrinis non plus discernere possunt, quam cæcus de colore. Instat Puritanus. Ad omnes eos spectat probatio Spirituum, ad quos pertinet non omni Spiritui credere. Sed male; hoc quippe est ovium; illud verò proprium Pastorum, à quibus oves tutò discunt, quibus credendum. Urgent Sectarij. Ergo & nostrum Spiritum nostramque doctrinam probate & examine. Occurrit bene Primatius in Apocalyp. cap. 2. inquit: *Iam probati & improbati sum Spiritus vestri ab Ecclesia, cujus istud est officium; quid tu vis iterum probare, quod jam pridem improbatum est.* Nempe moderni Sectarij nihil fere novi afferunt, sed quod jam olim veteres exco-

gitârunt hæretici, atque ab Ecclesia & SS. Patribus rejectum ac damnatum fuit.



gha.
er
ologia
emica
XI
9.

CONTROVERSIAM XXX.

DE POTESTATE SUMMI
Pontificis.

Potestas in summo Pontifice est triplex tergemina forsan ejusdem coronam indicata. 1. est Ordinis, quae refertur ad Sacramenta conficienda & administranda. 2. Jurisdictionis ad populum regendum in foro interiore conscientiae, quae necessario requirit characterem Sacerdotalem, & procedit secundum rei veritatem ab ipso reo expositam cum obligatione secreti strictissimi. Utraque harum potestatum pertinet proprie ad materiam de Clavibus Ecclesiae. 3. Jurisdictionis ad regendum populum Christianum in foro exteriori, quae etiam a non ordinato exerceri potest, nec ullum postulat secretum, sed palam omnibus exercetur per Legem, sententiam, coactionem &c. Quia igitur diximus, Summum Pontificem esse Judicem Controversiarum Fidei & Religionis, quae in Ecclesia oriuntur: & iudicium ejus certum atque infallibile esse. Surgit hinc alia quaestio, an scilicet possit Summus Pontifex cogere Fideles, ut id faciant & credant, quod ipse judicavit? Ex occasione autem hujus jurisdictionis & potestatis coactivae quaeritur etiam de temporali, an & qualem potestatem Papa habeat, videri potest Card. Bellarminus Lib. 4. de Rom. Pont. a cap. 15. & toto Lib. 5. Ex quo alijsq; Authoribus Nos breviter & obedientiae memores pauca ita afferemus, ut nulli inde justae offensionis causam demus.

PARS PRIOR

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. Doctrina prima. Summus Pontifex habet immediate a Christo potestatem condendi Leges canonicas universam Ecclesiam obligantes. Ita ex communi Catholicorum Doctorum Cardin. Bellarminus Lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 16. & Suarez Lib. 4. de Legibus cap. 1. Probatur 1. ex universali potestate Petro concessa Matth. 16. v. 19. *quodcumq; ligaveris super terram, erit ligatum & in caelis: & quodcumq; solveris super terram, erit & solutum in caelis.* Ubi cum non tantum potestas solvendi, sed etiam ligandi & obligandi (quod per leges fit) stabiliter concedatur: nec tamen immediate detur Ecclesiae, ut ipsa eam, cui vult, communicet, absque dubio penes summum Ecclesiae Praelatum ac Petri Successorem residere illam oportet. Ergo potest Papa pro tota Ecclesia leges ferre verè obligantes in conscientia, & transgressores punire saltem Spiritualibus poenis. Probatur 2. In Lege scripta Summus Sacerdos Synagogaè habuit talem potestatem universalem praecipienda, & leges ferendi, quae omnes obligabant in conscientia, ut cum alijs DD. docet Salas de Legib. D. 8. Sect. 2. Et inde de Pontificibus Hebraeis dicitur Deuter. 17. v. 12. *qui superbievit nolens*

obedire Sacerdotis imperio, morietur homo ille. Ergo majore jure utrumque horum de nostris Pontificibus est sentiendum, quod scilicet penes eos sit potestas legislativa, & eorumdem leges in conscientia obligent. Universum etiam atque expressè omnibus Christianis dicitur ad Rom. 13. v. 1. *omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit.* Et v. 5. *ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam;* Ubi de Ecclesiasticis aequè ac politicis Magistratibus loqui Apostolum, fateretur etiam Calvinus Lib. 4. cap. 10. §. 5. Probatur 3. ratione. Quia praeter leges divinas & civiles sunt necessariae aliquae leges ad bene gubernandam Ecclesiam. Hae autem obligant in conscientia, cum omnis vera Lex vim coactivam habeat à consilio, & libera meraque directione distinctam. Ergo &c. Probat. Major. Quia leges Evangelicae sunt nimis Universales. Debent ergo determinari per Ecclesiasticas; sicuti & Lex naturalis propter suam universalitatem determinatur per leges civiles. At, inquit Amesius Tom. 1. fol. 223. possunt fieri Leges sine Papa. Pro Ecclesijs particularibus esto: pro universa Ecclesia negamus.

II. Ex hac doctrina inferitur. 1. Papam pro tota Ecclesia leges ferre Ecclesiasticas posse absque Concilio Generali; imò absque concilio Cardinalium, aut aliorum Episcoporum, ut post plures docet Arriaga Tom. 4. de Leg. D. 18. num. 4. Quia Christus soli Petro ejusq; Successoribus eam potestatem concessit, nec constituit alios Compares; quamvis, uti varia jura indicant, congruum sit, ut horum consilia exquirat. 2. Mortuo Pontifice non esse in Ecclesia praedictam potestatem. Nam Christus non dedit illam immediate Ecclesiae, sed Petro ejusque Successoribus, ut recens dictum: nec in illo casu Cardinales habent vim relaxandi vota, dispensandi in matrimonio rato, abrogandi praecedentium Pontificum Leges ac decreta &c. 3. Quamvis caeteri etiam Apostoli immediate habuerint potestatem ferendi Leges & statuta, est tamen inter hos & Petrum differentia, tum quod potestas hujus esset supra alios Apostolos: non verò istorum supra Petrum, tum quod Petro data sit, ut eam potestatem Successores ipsius haberent: Apostolis verò tantum in persona propria, ut proinde Successores in Episcopatibus à Vicario Christi dependerent. 4. Potestatem hanc (quae est denominatio moralis ex voluntate Christi eam conferentis) dici supernaturalem, tum quia est in ordine ad finem supernaturalem gratiae, tum quia planè est indebita naturae humanae secundum se consideratae, tum quia versatur circa res supernaturales, maxime circa Sacramenta praescribendo, quo modo & quâ reverentiâ tractentur. 5. denique Papam tanquam Ecclesiae Caput merito praesesse, atque ubique anteferi Imperatori ac Regibus c. Venerabilem de Ecclesijs atque hos illi obedire ac revereri ipsum oportere. Hinc pro Pontificis autoritate observanda est mirabilis DEI Providentia, qui Fautores & Protectores Pontificum etiam in hac vita largè remuneratus est: hostes autem & persecutores eorundem severe punivit, ut multis exemplis ostendit Thom. Bozius Tom. 2. P. 2. Lib. 24. cap. 6. & seq.

III. Doctrina secunda. Summus Pontifex non habet potestatem ferendi leges civiles obligantes universum orbem, aut etiam totum populum Christianum.

Christianum: Sed solum habet potestatem ferendi leges tales obligantes terram sibi temporaliter subjectam. Ita Card. Bellarminus Lib. 5. de Pontific. cap. 2. & seq. Covar. L. Peccatum p. 2. §. 9. num. 7. Molina de Iustit. D. 19. Suarez Lib. 3. de Leg. cap. 6. num. 3. Salas D. 7. de Leg. Sect. 4. num. 30. & alij communiter contra nonnullos Canonistas apud Dianam P. 9. Tr. 2. Rosol. 122. qui civilem potestatem Papæ plus iusto extollunt. Ratio nostræ doctrinæ est, quia ad leges ferendas pro universo orbe requiritur potestas & iurisdic-tio civilis ac temporalis, quæ se in omnes simpliciter extendat. Atqui Papa non habet talem iurisdictionem. Ergo &c. Probatur Min. Papa prædictam iurisdictionem 1. non habet ex natura rei, ut ex terminis patet. 2. non ex concessione ipsorum regnorum universi Mundi; Nam Infideles de Pontifice nihil sciunt majore ex parte, multo minus se abdicantur suâ potestate, eamque in ipsum transfulerunt, quod nec Christiani Reges & Principes fecerunt, proprias leges pro suis quique regnis & provinciis ferentes. 3. non ex concessione DEI per Christum; quia nec leve fundamentum pro hac concessione est in toto Evangelio. Nam ubicunque Christus Petro potestatem dedit, semper ostendit, eam esse Spiritualem & in oves Christi Joan. 22. v. 17. *pasce oves meas.* Matt. 16. v. 18. *super hanc petram edificabo Ecclesiam meam.* Et v. seq. *quodcumq; ligaveris super terram, erit ligatum & in celo;* quæ potestas Spiritualem est, & Spiritualia respicit. 4. denique non ex potestate temporali, quam habet more aliorum quorundam Principum; quia hæc minime se extendit in totum orbem; siquidem de Infidelibus, qui foris sunt, nihil habet, quod iudicet 1. Cor. 5. v. 12. Sed nec in omnes Christianos, verum in eos duntaxat, qui temporali ejus dominio ab Imperatoribus, alijsq; Principibus per donationem accepto subjecti sunt.

IV. Interim non negandum, posse Pontificem aliquando declarare jus naturæ, quod reipsa fecit, declarando *malæ fidei possessorem nunquam prescribere posse;* quia reverâ contra naturam est, ut iniquus possessor ex sua nequitia rem alienam faciat suam, & transeat ista ab injusto ad justum possessorem sine donatione veri Domini, qui iure semper est invitus, etiamsi ignoret, ubi ea res detineatur; quam tamen præscriptionem Leges civiles permittunt. In hoc autem casu & quovis simili juris naturalis declaratione Papa non exercet iurisdictionem, sed clavibus scientiæ utitur, ostendendo quid sit peccatum, quid non sit. Vnde Christiani omnes, qui norunt, Pontificem errare non posse in declaratione veritatis, tenentur tunc observare illud præceptum, prout ab ipso declaratum fuit; Gentiles verò, qui eundem ut veritatis Magistram non agnoscunt, stare illius declaratione non obligantur. Ut bene Arriaga Tom. 4. D. 13. num. 24.

V. *Doctrina tertia.* Summo Pontifici eique subordinatis Clericis potestas in Ecclesiam & Religionem ita unice convenit, ut eadem nullo modo sit penes Imperatores, Reges, Principes, & Magistratus sæculares sive super personas sive res Ecclesiasticas quascunque. Ita omnes Catholici Doctores. Probatur 1. Principibus sæcularibus non tribuit hanc potestatem in Personas & Res Ecclesiasticas Jus naturæ, quod non extendit se ad su-

pernaturalia, cum talia sub natura non continentur. Unde potestas Ecclesiastica & Civilis necessario differunt. 1. ratione Finis proximi & mediorum; Civilis enim Regiminis finis proximus est temporalis felicitas: Ecclesiastici verò salus æterna. Media etiam Civilis potestatis merè sunt naturalia ad res proportionatas ordinata: Ecclesiastica verò potestatis Media, utur externa sint v. g. Concilia, Synodi, Consistoria, Reformationes, Visitationes &c. semper tamen sicuti & ipsi Canones ad res Spirituales diriguntur. 2. ratione Causæ Efficientis. Nam Deus politicum Regimen per communem solum providentiâ velut rem naturalem instituit & hominibus in seuit, atq; idcirco etiâ illius formationem ordinariè hominum arbitrio & naturali rationi permittit: Ecclesiasticum autem in utroque Testamento per providentiâ specialem, & per ordinem à se ipso positum condidit & formavit; unde Regimen tale supernaturale est, nec ex naturali ratione ortum suum sumpsit. 3. ratione Dignitatis. Regimen Ecclesiasticum multo sublimius & dignius est Politico; quanto scilicet animarum salus & res cœlestes atque æternæ temporalibus & perituris præstant. Ergo Jus Naturæ, quod ad res cœlestes non se extollit, potestatem Ecclesiasticam non annexuit potestati civili, multo minus illam huic subiecit.

VI. Probatur 2. Magistratibus sæcularibus potestatem in Ecclesiam & Religionem non etiam concessit Jus divinum in utroq; Testamento. Nam in Veteri Testamento Jus constitit in Decalogo & insuper in præceptis Ceremonialibus & Judicialibus. Manifestum autem est in Decalogo nihil reperiri pro potestate Sæcularium Principum in Ecclesiam & Religionem: Præcepta verò Ceremonialia & Judicialia sunt per Novum Testamentum sublata, in quem sensum Christus Luc. 16. v. 16. dicit: *Lex & Propheta usque ad Joannem.* Etiam si igitur in Veteri Testamento Reges habuissent hujusmodi potestatem, tamen propter Legem istam antiquatam Principes & Magistratus in Novo Testamento nihil inde juris arrogare sibi possent. In Novo Testamento nec unicus loctus reperitur, ex quo Potestas super Ecclesiam & Religionem pro Imperatoribus Regibus & Magistratibus sæcularibus concludi possit. Nam Christus expressis verbis Ecclesiam Petro commisit Matth. 16. v. 18. Luc. 12. v. 32. & singulariter Joan. 21. v. 32. ubi ait: *Pasce oves meas;* qualia verba non dicit ulli Regi aut Principi sæculari. Paulus Ephes. 4. vers. 11. enarrans Hierarchiam Ecclesiæ meminit Apostolorum, Evangelistarum, Pastorum & Doctorum: nullius autem Imperatoris, Regis, Principis aut Magistratus sæcularis. Ergo ad istos non spectat Regimen Ecclesiæ, cum nec in specie nec in genere inter Apostolos, Prophetas, Evangelistas, Doctores & Pastores comprehendantur.

VII. Probatur 3. ex Sanctis Patribus, qui potestatem hanc Ecclesiasticam semper negarunt Principibus & Magistratibus sæcularibus, atque ipsi etiam Imperatoribus fortissimè restiterunt, si potestatem istam sibi arrogantes voluerunt præsidere Concilijs, aut de Personis, Legibus, & rebus Ecclesiasticis disponere. Ex multis paucos solum proponemus. S. Chrysostomus homil. 4. & 5. de verbis Isaiæ: *Quoniam admirandus videatur Thronus Regius, tamen rerum terrenarum administrationem sortitus est, nec præter potestatem hanc præterea quidquam*

quam habet authoritatis &c. Gregorius Nazianzenus ad Cives Nazianzenos sic Principes & Magistratus sæculares alloquitur: Vos quoque Lex Christi imperio meo ac throno subicit: Imperium enim nos quoque gerimus &c. Athanasius in epist. ad vitam solitariam agentes: Si istud est iudicium Episcoporum, quid cum eo commune habet Imperator? Quando iudicium Ecclesia auctoritatem suam ab Imperatore accepit? Hosius in epist. ad Constantin. apud Athanasium: Ne te misceas Ecclesiasticis, sed potius ea à nobis discere. Tibi Deus imperium commisit: nobis, qua sunt Ecclesia, concedidit &c. Ambrosius Epist. 14. ad Marcellinam scribit: se Valentiniano Imperatori dixisse. Noli te gravare, Imperator, ut putes, te in ea, qua divina sunt, imperiale aliquod jus habere: Noli te extollere, si vis diutius imperare. Istio DEO subditus; scriptum est enim, qua DEI, DEO: qua Caesaris, Casari. Similia habet epist. 14. & orat. 1. contra Auxent. Dicunt Sectarij, Patres adimere solum Principibus sæcularibus potestatem in Altari, cathedra, Confessionali. Sed vanissimum effugium; Etenim allata verba SS. Patrum luce meridiana clariora sunt, quod Magistratus sæculares universim & penitus repellantur ab Ecclesia & Religione, & omnis penitus potestas disponendi de Personis & rebus Ecclesiasticis ipsis denegetur.

VIII. probatur 4. ex praxi Ecclesiæ. Nam Ecclesiæ Regimen ab Apostolis usque ad Constantinum Magnum Imperatorem per annos trecentos optime constitit absque eo, quod Magistratus sæculares quicquam potestatis super illud habuissent; quis enim tunc Ecclesiam gubernavit? Apostoli, quis primam synodum indixit? Apostoli Actor. 13. v. 6. quis huic Synodo præfedit? Apostoli, quis legem Ecclesiasticam de abstinentia ab immolatis simulachrorum & sanguine suffocato sancivit? Apostoli. Quis Corinthiacum incestuosum excommunicavit? Paulus Apostolus 1. Cor. 5. v. 3. quis accusationem adversus Presbyteros tanquam legitimus iudex admisit? Timotheus Episcopus. 1. Tim. 5. v. 19. Nullæ hic partes Regum, nullum vestigium; siquidem Romani Imperatores fuerunt Gentiles, & talis potestatis incapaces. Ergo Ecclesia etiam hoc tempore nulli sæculari potestati est subiecta, meraq; fabula censenda, quæ hæretici de Magistratûs politici potestate in Ecclesiam & Religionem fingunt. Et certè Religionem extremo exponi periculo, si illa Ecclesiastico Statui non permittatur gubernanda, satis ostendunt Imperatores illi, qui hæresi Arrianâ, Monotheliticâ, aut Iconoclasticâ fuerunt infecti. Sed ipsis quoque Imperatoribus, qui Religionis se rebus intruserunt, res pessimè successit. Nam Henricus IV. & Fridericus I. & omnes horum posterij, licet potentissimi, brevi ceu fumus in aëre evanuerunt. Henricus IV. à proprio suo Filio expulsum in extrema paupertate mortuus est. Fridericus I. Posterij & tota Familia Ducum Suevicorum miserimè periit, uti nominatim scribit Martinus Crusius. Interea Sedes Pontificia adeo ab istis Imperatoribus oppugnata stat in hunc usque diem coram omnibus regnis & Provincijs totius orbis penitus immota. Quæ manifesta DEI opt. Max. iudicia profectò ante oculos habenda, nec vilipenda, sed inde discendum Mortalibus, quæ Omnipotens reipsâ approbet, quæve improbet ac rejiciat.

IX. Doctrina quarta. Non repugnat, Pontifi-

cem simul esse Principem Spiritualem & temporalem alicujus Provinciæ. Ita communis Catholicorum. Probat 1. varijs exemplis. Nam Melchisedech fuit Rex & Pontifex, ut patet ex Gen. 14. v. 18. Nonne iste erat figura Christi? & Christus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, Psal. 109. v. 4. & Hebr. 7? Ergo Sacerdotio Novi Testamenti, quod ordini Melchisedech est conforme, Regimen politicum non repugnat. Similiter Moyses & Summus Princeps Temporalis, & Summus Pontifex fuit, ut itidem ex varijs locis Scripturæ constat; Unde Gregorius Nazianzenus in oratione ad Gregorium Nyssenum scribit: Moyses Principum, & Sacerdotum Sacerdos Aaron pro lingua utebatur. Heli ipse quoque Summus Pontifex & iudex politicus fuit annis 40. ut habent Sac. Litt. Lib. 1. Reg. cap. 1. & 4. Demum Machabæi Judas, Jonathan, Simon, Joannes & cæteri usque ad Herodem simul Pontifices & Duces politici fuerunt, ut constat ex Lib. Machab. & Joseph. Lib. 12. Antiquit. & seq. Adde Episcopos Germaniæ Judas, qui nemine repugnante utramque de jure in hanc usque diem retinent jurisdictionem.

X. Probat 2. ex ratione. Tum quia potestas Ecclesiastica & politica non sunt contrariæ, sed utraque est bona. Ergo simul in eodem subiecto esse possunt. Tum quia unus Rex potest præesse Togatis & Armatis, quantumvis Pax & Bellum sint magis diversa, quam Bona temporalia & spiritualia. Tum quia potest unus Rex gubernare duo regna, & unus Episcopus plurimas Ecclesias. Ergo unus potest regere unum Episcopatum & unum Principatum. Tum quia pij homines fuerunt, qui Episcopis donarunt Principatus sæculares, & ea de causa præcipue à tota Ecclesia commendati sunt, ut patet in Constantino Magno, Carolo Magno, Ludovico Caroli Filio, Henrico Imperatore &c. Multi etiam è numero Pontificum fuerunt, qui, cum simul Principes Ecclesiastici & Politici essent, nihilominus sanctitate & miraculis floruerunt, ut nominatim Pius V. nuperimè Albo Beatorum insertus. Tum quia, etiam si forsitan præstaret, Pontifices tractare solum Spiritualia, tamen propter malitiam istorum temporum experientia clamât, utiliter, necessariò, & ex singulari Dei providentia donatos fuisse Papæ, alijsque Episcopis Principatus aliquos sæculares; certè in Germaniâ, si Episcopi non simul S. R. J. fuissent Principes temporali Principatu fulti, vix ulli ad hanc diem in sedibus suis permanissent.

XI. Doctrina quinta. Jura seu redditus & Monasteria ob Religiosos vel mortuos, vel ab hæreticis expullos, ut in Germaniâ & Angliâ, spectant omnia ad summum Pontificem, ita ut in quem iste voluerit, transferre ea possit. Ita communis Catholicorum Doctrinam. Probat nonnulli Canonistæ & novissimè Michael Tarrada in Amplitudine Beneficentiarum Dispüt. 1. §. 1. num. 37. ex eo quod Papa sit Dominus absolutus omnium rerum & personarum Ecclesiasticarum. Sed Theologi communiter tenent contrarium apud Dianam P. II. Tr. 3. Resol. 14. asserentes, summum Pontificem non esse Dominum, sed supremum Administratorem duntaxat; unde B. Pius V. Papa, teste Sarmiento Lib. 1. Sect. c. 8. num. 35. dicere solebat, Pontificem non esse Dominum Beneficentiarum, sed Dispensatorem, ac proinde Beneficia non esse Manualia. Melius igitur

igitur doctrina nostra inde probatur, quod Monasteria illa seu conventus censentur extincti, & Bona illorum vacantia nulli debita. Ergo devolvuntur ad Summum Pontificem, qui est Christi Minister, & Dispensator Ministeriorum & Beneficiorum; ac proinde applicare ea potest, quibus in Domino visum fuerit. Ita Bartolus in L. ult. num. 22. §. de Collegijs illicitis. Et L. ult. §. si cut ff. quod cuiusque Universitatis, ubi hæc haberi: *si Collegia sunt, qua habere possunt bona in communi, & nihil in particulari, uti sunt Collegia Religiosorum, in istis dissoluto Collegio, remanent bona apud Superiorem, vel cui ipse concesserit.* Hanc sententiam communiter recipiunt Doctores, & nominatim Abbas Panormitanus in cap. Re-colentis. de statu Monachorum. Et Petrus Ancharanus in cap. de Religiosis Domibus q. 4. Alique expressè loquentes de Monasterijs, quod istis dissolutis Bona in communi possessa maneant apud Superiorem, vel cui ipse concesserit. Atqui morte & expulsionem Religiosorum Monasteria & Conventus illi fuerunt extincti, & Bona horum vacarunt, uti jura Pontificia & Cæsarea sentiunt. Ergo prædicta Bona & Jura eorum devolvuntur ad Superiorem, Romanum scilicet Pontificem, qui, ut diximus, supremus est Christi Administrator bonorum Ecclesiasticorum; ac proinde iste attribuire eadem potest, quibus in Domino voluerit.

XII. Non dici potest, in jura illorum Bonorum pro Monasterijs extinctis succedere alias ejusdem Ordinis seu qualitatis Personas, nempe ejusdem Religionis Professos, aut Diocesis Clericos. Nam licet verum sit, quod, ubi bona communicabilia sunt intra eundem Ordinem seu Religionem, si unus conventus extinguatur, illa à Superiore talis Conventus transferri ad alium possint, perinde ac poterant, si Conventus non fuisset extinctus; siquidem Bona illa communicabilia fuerant: at tamen ubi bona divisa & independentia sunt unius Conventus ab altero, uti impræsentiarum supponimus, non habet jus in talia bona quilibet alius conventus, ut sibi appropriet; siquidem illi sunt erepra; cum nunquam ad ipsum sive jure communicabilitatis, sive quovis alio pertinerint. Sed de hac lite plura alij, cum eam hæreticis, contra quos hic agimus, non moveant.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

XIII. **E**rror primus est Lutheranorum & Calvinistarum universum, ut videre est apud Gerhardum Lib. 2. Part. 1. à fol. 641. Et apud Amesium Tom. 1. à fol. 220. post Waldenses & alios hæreticos, Papam sancire non posse leges Ecclesiasticas, quæ universam Ecclesiam in conscientia obligent. Ita ait Lutherus Lib. de Capt. Babyl. cap. de Bapt. quo jure Papa super nos Leges constituit? quis ei dedit potestatem, captivanda libertatis nostre &c? Non solum autem similibus dictis, sed factis etiam Leges Ecclesiasticas damnavit; totum corpus juris canonici an. 1520. publicè comburens, ut testatur Cochleus in vita Lutheri. Probant 1. ex Isajæ 29. v. 29. & Matth. 15. v. 8. popu-

lus hic labijs me colit, cor autem eorum longè est à me; sine causa autem colunt me docentes doctrinas & mandata hominum. Huc etiam trahunt illud Matthæi ult. v. 20. docentes, quæ mandavi vobis; non, inquit, quæ vos mandabit. 2. Christiani sunt liberi à mandatis hominum 2. Cor. 3. v. 17. Gal. 4. v. 31. & cap. 5. v. 1. 3. Liberati sumus à caeremonijs Judaicis divinis. Ergo multò magis à Pontificijs. 4. Deut. 8. v. 1. & cap. 12. v. 32. Non addatis verbum, quod præcipio tibi, hoc tantum facito. 5. Denique Soli Deo conscientia est subiecta. Ergo nihil potestatis in eam ulli homini competit. Ergo nulla datur lex Ecclesiastica.

XIV. Error iste, quem priore parte satis jam rejecimus, apud plerosque Sectarios inde nascitur, quod vel ex malitiâ vel ignorantia crassa non distinguant inter dogmata Fidei & Morum, cum tamen inter hæc maxima sit differentia; quippe fatemur, decretum seu articulum fidei semel legitime conclusum & promulgatum renovari & immutari non posse: secus se res habet in decreto morum seu constitutione Ecclesiastica. Nunquid lex data fuit Ecclesiastica Actor. 15. cum Apostoli imponerent Fidelibus v.g. ut abstinerent se à suffocato & sanguine. Ergo etiamnum Ecclesia legem statuere potest Fideles omnes obligantem. Nec refert, aliqua hodie decreta Pontificia non observari, utpote antiquata, cum nec Apostolicum illud decretum adhuc vigeat; quis enim Prædicantium modò se abstinere à bûtulo, cothurnice, aut alia avâ suffocata?

XV. Cæterum si Ecclesia unum tale novum decretum statuere potuit, plura etiam poterit. Atqui unum facere potuit divinum cultum concernens. Ergo &c. Major patet. Minor probatur ex observatione Festi Paschalis, quod in Sac. Scriptura non præcipitur; ceremoniæ enim Agni Paschalis, cujus in Veteri Testamento fit mentio, ad solos Judæos spectant, ut omnes fatentur. Similis Ecclesiastica constitutio est de Sac. Eucharistia à jejuno sumenda, ubi enim habetur in Scriptura hæc aurem (par est ratio de alijs) obligare, pulchre tradit S. Augustinus epist. 118. ad Jan. cap. 6. sic scribens: *liquido apparet, quando primum acceperunt Discipuli Domini corpus & sanguinem, eos non accepisse jejunos. Nunquid tamen calumniandum universe Ecclesia, quod à jejunis semper accipiatur? Ex hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum Corpus intraret, quam exteri cibi. Nam ideo per universum orbem mos iste servatur. Ecce S. Augustinus docet, jejunium ante Sac. Communionem ab Apostolis provenire, hanc consuetudinem observari per universum orbem, utique tanquam legem in conscientia obligantem; si enim consuetudines & leges Magistratûs sæcularis in conscientia observare tenemur, cur non etiam Ecclesiastici?*

XVI. Respon. ad 1. probationem. Mandata hominum in Sac. Scriptura vocari non quælibet hominum præcepta, sed solum, quæ omnino sunt humana, ita ut nec Deo inspirante, nec jubente, aut ejus autoritate fuerint data, quorum alia sunt contraria mandatis divinis, alia prorsus inutilia & vana; atque de his mere humanis loquitur Dominus, ut testatur Irenæus Lib. 4. cap. 25. & 26. exponens citata Isajæ & Matth. verba. Quoad illa Matth. ult. docentes, quæ mandavi vobis. Glosa hæc Lutherano-Calvinica contradicit ipsi, & sensu

gh a.
er
ologia
emica
XI
9.

fenfui Domini. Nunquid enim inter illa, quæ Apoftoli Gentibus prædicare debebant, erat & illud Actor. 16. v. 4. *Ut præcepta Apoftolorum & Seniarum custodirent?* Nunquid Paulus ipse prædictam legem Apoftolicam de suffocato & sanguine (nec divinam nec naturalem) promulgasse legitur in Actis loc. cit. Ad 2. negando consequentiam. Quia ex his Apoftoli verbis loc. cit. (*ubi spiritus, ibi libertas: estis filij Libera, quâ libertate nos Christus liberavit: Nolite iugo servitutis iterum gravari*) nulla est illatio: Ergo non tenemur obedire mandatis Ecclesiæ. Nam libertas Christiana consistit in libertate à servitute peccati, legis ceremonialis, & judicialis: non verò ab obedientia Prælatorum, ut communiter & bene advertunt Doctores Catholici. Ad 3. iterum negando consequentiam. Nam cæremoniæ illæ veteris Testamenti fuerunt figuræ Novi: ac proinde reipsâ præfente, cessare debuerunt ex ista ratione; esto præter hanc, uti bene notat S. Thomas 1. 2. q. 101. art. 2. ad 2. ob cultum divinum, qui pro illo tempore erat observandus, habuerint rationem litteralem sive ad vitandam idololatriam, sive ad beneficia DEI memoranda, sive ad insinuandam excellentiam DEI.

XVII. De reliquo falsum est, quod fingunt Novatores, nos liberatos fuisse à legibus Moysis propter earum multitudinem & difficultatem: & his leges Pontificias esse plures ac difficiliore; cur enim illæ expiraverint recens diximus. Quo ad multitudinem, erant earundem, quæ omnes Iudæos obligabant, plurimæ præsertim de purificationibus, sacrificijs, oblationibus, delectu ciborum. At Ecclesiasticæ, quæ quidem omnes Christianos obligant, vix sunt 4. aut 5. nempe de servandis Festis, jejunijs, confessione annua, & communione in Paschate; reliquæ omnes leges, quæ continentur in Jure Canonico vel non sunt propriè dicitæ leges, quæ obligent in conscientia, sed piæ tantum constitutiones, quæ nos dirigunt: vel certe non pertinent ad omnes, sed ad paucos, ac nominatim ad eos, qui cupiunt ad sacros Ordines promoveri. Similiter quod attinet ad gravitatem; multo severiores erant Moysaica, quam sint nostræ Ecclesiasticæ; etenim nostræ, quæ obligant omnes, nihil aliud sunt, quam determinationes quædam legum divinarum; & nullam molestiam aut difficultatem illis superaddunt; quippe leges divinæ obligant nos, ut aliquando communiceamus, jejunemus, confiteamur, ab opere servili abstinemus: at Ecclesia determinat tempus, quo illa præstanda sint. Non obstat D. Augustinus epist. 119. ad Januar. conquerens, tolerabiliorem fuisse conditionem Iudæorum, quam modò sit Christianorum. Quia rejicit solum abusus quosdam, qui contra communem Ecclesiæ consuetudinem in quibusdam locis irreperunt, ut patet ex ipsius verbis in cit. epist. ubi disertè admittit statuta Episcoporum ob consuetudinem Ecclesiæ.

XVIII. Ad 4. DEUM ibi loqui de præceptis Cæremonialibus & Judicialibus à sedatis, & prohibere Iudæos, ne aliquid addant ex ritu Gentilium, inter quos vixerunt in Ægypto, & deinde victuri erant in Palæstina. Patet hoc manifestè ex cap. 12. circa finem, ubi à v. 29. dicitur: *Quando disperdiderit Dominus DEUS tuus ante faciem tuam Gentes, ad quas ingrederis possidendas, & possederis eas, atque habitaveris in terra earum, cave ne imiteris illas, postquam te fuerint introeunte subversa, & requiras Cære-*

monias earum dicens, sicut coluerunt Gentes iste DEOS suos, ita & ego colam. Objectio hanc vim habet: Iudæi in Veteri Testamento non potuerunt imitari in suis cæremonijs & sacrificijs ritum Gentilium. Ergo Prælati Ecclesiæ non possunt condere leges. Quis autem non videt, clumbem hunc esse argumentandi modum; quomodo enim aliàs Apoftoli in Concilio Hierosolymitano condere potuissent legem de Sanguine & suffocato, cujus paulò supra meminimus? Ad 5. denique & ultimam probationem, negando posteriorem consequentiam. Nam vim istam leges humanæ non habent ex se, sed ex vi & jussu DEI. Unde cum Apoftolus ad Romanos 13. supra cit. præcepisset, ut obedi-deret etiam propter conscientiam omnīs animæ sublimioribus potestatibus, de hoc mandato iteratò dixit v. 4. *DEI enim Minister est;* adeoque in obligandis per leges conscientijs vice DEI fungitur. Ex quo apparet, quàm straminea sit hæc Hæreticorum illatio ex illo 1. Cor. 7. v. 23. *Non estote servi hominum.* Ergo non obligemini legibus humanis vice DEI latis.

XIX. Urgent Sectarij. Conscientia ad forum DEI pertinet, qui solus scrutatur corda & damnare potest. Ergo solus etiam DEUS ad talem penam æternæ mortis obligare potest. Resp. conscientiam uno modo pertinere ad forum solius, DEI, qui solus videt conscientias; & de actibus internis judicat: alterò non spectat ad forum solius DEI, sed etiam hominum; quatenus scilicet homo ex præcepto ita obligatur ad opus externum faciendum, ut si non faciat, judicet ipsemet in conscientia sua, malè se facere. Atque hoc sufficit ad Conscientiam obligandam, ut rectè Belarminus L. 4. de Rom. Pontif. c. 20. Ineptè autem contra istud fingit Amestus, obligationem in conscientia involuere etiam, ut obligans alium videat conscientiam hujus, scrutetur renes & cor, judicet de internis, & penam æternam infligere possit. Quis enim unquam Theologorum ante istos Novatores ita definiit obligationem in conscientia? aut quis unquam aliud ad hanc obligationem in conscientia requisivit, quàm reddere alicui actionem aut omissionem illicitam? quod Superior præcepto suo facit respectu subditi; illius enim judicium & voluntas est hujus regula, ita ut si ab ea recedat, se peccare advertat; peccatum quippe nihil aliud est, quàm regulæ transgressio, ut ex S. Augustino docent S. Thomas 1. 2. q. 71. art. 6. & communiter Theologi, estque notum apud omnes.

XX. Error secundus est Henrici VIII & Elisabethæ Regum Angliæ, asserentium potestatem Ecclesiasticam esse apud Reges: & quemlibet Regem esse Papam in regno suo: ac Summum Pontificem in terris habere potestatem spiritualem in temporaliter solum sibi subjectos, de quo fuscè scribit Piccardus Harris in Concordia Anglicana de Ecclesiæ Regim. Solet autem distingui triplex Potestas Ecclesiastica. 1. Ordinis ad Sacramenta conficienda. 2. Actionis interioris ad regendum populum in foro conscientia, absolvendo vel ligando. 3. Jurisdictionis exterioris ad eundem populum regendum in foro exteriori, convocando Synodum, atque in ea præsidendo, Ministros Ecclesiæ constituendo, controversias quaslibet Fidei & Religionis decidendo, beneficia conferendo &c. Atque de hac tertia potestate impæsentiarum solum est quaestio; priores enim duas nemo Regum

gnum ac Principum affectat. Sectarij moderni protestantur quidem, se nullum hominem in toto mundo habere pro supremo Ecclesie Capite, sed hoc esse solum Christum JESUM, at tamen reipsa suos Principes & Magistratus sæculares pro supremis suarum Ecclesiarum Capitibus agnoscunt, licet nomine Primatus non utantur. Nam 1. tantam illis potestatem concedunt super Ecclesiasticos, & in rebus Ecclesiasticis, quantum super sæculares, 2. potestatem tam Ordinis, quam jurisdictionis Ministri Ecclesie accipiunt à Principibus sæcularibus, ut expresse tradit celeberrimus illorum Jurista Marthæus Stephani lib. 3. de Jurisd. c. 15. num. 1. 3. Principes, qui Primatum Ecclesie, ut in Anglia, usurpant, non sibi vendicant immediatum ministerium Verbi & Sacramentorum, sed duntaxat jurisdictionem ad populum regendum in foro exteriori, de qua paulò ante diximus. 4. hanc affectatam potestatem in Principibus Sæcularibus reprehendunt Sancti Patres, ut in priori parte vidimus, affirmando, illam non Magistratibus sæcularibus, sed Ecclesiastico Capiti Ecclesie convenire.

XXI. Argumenta etiam utraque pars pro se fere eadem afferunt. 1. In lege Veteri potestas sacerdotalis erat subiecta Regali. Ergo etiam in lege Nova, cum eadem sit ratio, & ex historijs confiter, Papam aliquando ab Imperatore fuisse depositum. 2. Deut. 17. v. 18. præcipit DEUS, ut Rex legem DEI secum habeat, legatque illud omnibus diebus vite sue. unde & Paulus Rom. 15. v. 4: *quæcunque scripta sunt*, inquit, *ad nostram doctrinam scripta sunt*. 3. David 1. Paralip. c. 23. Senex jam Concilium convocat, & de Arca DEI disponit 2. Reg. 6. v. 2. 4. Salomon 3. Reg. 2. v. 27. deponit Abiathar, & loco illius creavit Sadoch. 5. Josaphat 2. Paralip. c. 19. v. 8. in Jerusalem constituit levitas & Sacerdotes. Similem potestatem in Ministros & Res Ecclesiasticas exercent Ezechias 4. Reg. c. 18. Et Josias ibid. c. 22. & 23. 6. Magistratus sæculares vi dignitatis ac potestatis sue disponere de omnibono Subditorum valent, nec inde vel juribus Episcopalibus quidquam demittitur, vel unitas Ecclesie discinditur. 7. Hadrianus Papa concessit Carolo Magno potestatem eligendi Papam Decret. p. 1. dist. 63. cap. 22. Constantinus controversias inter Donatum & Cæcilianum Papæ Melchiadi commisit componendas, & tandem ipse in causa Felicis judicium tulit, August. in opere brevi. collat. 3. epist. 48. Similia referuntur à Scriptoribus de Theodosio, Marciano, Leone, Honorio &c.

XXII. Errorem hunc latè in priorè parte rejecimus. Et nec Rex Angliæ, nec alij Principes & Magistratus sæculares ullo jure, ratione, præscriptione ac titulo ostendere possunt, talem Primatum in Ecclesiam & Potestatem in Personas & Res Ecclesiasticas sibi convenire: suntque injurij statui Ecclesiastico omnes Scriptores & Prædicantes, qui similem Superioritatem in Ecclesiam & Religionem Regibus & Principibus Sæcularibus attribuunt & in illis agnoscunt. Officium istorum Regum & Principum est, Ecclesiam & Religionem tueri ac defendere, quod facere debent non ut Domini, sed ut Ministri, non ut Judices, sed ut Executores. Hoc olim fecerunt Christiani Principes: hoc verbis testati sunt. Carolus Magnus ut alios taceam apud Sigonium lib. 4. de Regno

Italiae, sic ait: *Si Ecclesiarum servis magnificentiam nostram imperitimus, eorumque studijs libenter obsequimur, id nobis ad augustalis excellentia culmen proficere credimus; si, inquit, obsequimur Ecclesiarum servis. Obsequium offert: non Primatum aut Potestatem sibi arrogat. Vult esse Minister in defensionem Ecclesie, non Dominus. Idem Carolus cum à Leone Papa coronam Imperij recepit, hæc formulâ juris jurandi usus est. In nomine Christi spondeo atque polliceor ego N. Imperator, coram DEO & B. Petro Apostolo, me Protectorem ac Defensorem fore hujus Sanctæ Romanæ Ecclesie in omnibus, quatenus divino fultus fuero adjutorio: prout sèvero poterôque. Sigonius loc. cit. Hociplum pridem usu receptum in Francia, Hispania, Polonia, Hungaria, ut simili juramento se obstringant Reges & nominatim promittant, Ecclesie ac Religionis se defensores futuros, ejusque Prælati reverentiam & subjectionem præstituros. Neque hoc quicquam ipsorum Majestati derogat, imò perquam honorificum est. Unde præclare ait S. Ambrosius epist. 32. ad Valentianum Juniorem: *quid est honorificentius, quam ut Imperator dicatur Filius Ecclesie? Imperator enim bonus intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est &c.**

XXIII. Respon. ad 1. argumentum in oppositum negando consequentiam, quidquid sit de Antecedente. Nam cum veteris legis promissiones essent temporales, in illa potestas temporalis præeminēbat, & nuncupabatur regnum tunc Sacerdotale: modò autem, quia ob contrariam rationem præminet Sacerdotium, vocatur istud 1. Pet. 2. v. 9: *Sacerdotium Regale*, ut notat S. Hieronymus epist. 5. contra Pelag. Et Epist. 1. ad Dardanum. Cæterum in lege etiam veteri Rex non ita fuit Superior Sacerdote, quasi hujus munera exercere posset, sed quod Pontifex in Politicis & criminalibus esset subiectus Regi; unde Rex Josaphat 2. Paralip. c. 19. v. 11. præcipit: *Amarias Sacerdos & Pontifex in omnibus, quæ ad DEUM pertinent, præsidebit. Dixi quidquid sit de Antecedente. Nam sunt, qui velint in veteri quoque lege potestatem regiam Sacerdotali fuisse subiectam, tum quia Leviticis 4. v. 3. præcipitur offerri pro Sacerdote victima nobilior quam pro Rege, tum quia Nuti. 27. v. 21. ad Pontificis verbum tam populus, quam Princeps egredi præcipitur; ut accuratè advertit Philo lib. de Victimis. Unde ajunt isti, injustè Papam fuisse ab Imperatore depositum, si fides historijs detur. Ad ea, quæ ex Scriptura de Salomone, Josaphat & alijs obijciuntur, eodem fere modo respondent, quo nos mox respondebimus. Interim non negandum, contrariam sententiam, quod non solum in lege Naturæ, sed etiam in Moysaica potestas Sacerdotalis fuerit subiecta Regali, esse communio-rem, quam defendunt S. Thomas opusc. de Regim. Princ. lib. 1. c. 14. Abulensis in 3. Regum. q. 18. Salas 1. 2. Disp. 8. de Leg. Sect. 22. & alij.*

XXIV. Ad 2. ex Deuter. 17. nihil inde probari; nunquid hæretici volunt, ut omnes Biblia legant ac secum habeant, sequitur ne inde, omnibus convenire potestatem in Ecclesiam & Religionem? minime. cur igitur Regi? Ad hæc Lex antiqua, excepto decalogo, fuit antiquata, ut supra jam diximus. Paulus ad Rom. 15. ait quidem, *quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta esse*: at verò non dicit, omnia, quæ in Veteri Testamento scripta sunt, adhuc in Novo locum habere; aliàs Sectarij circumcisionem unam cum omnibus ceremonialibus & judicialibus admittere deberent.

XXV. Ad

XXV. Ad 3. Davidem convocasse quidem omnes Principes in Israel etiam Sacerdotes & Levitas, ut videre est i. Paralip. c. 23. & 29. Sed nec ista nec illa convocatio dici potest Concilium; quia de rebus Fidei & Religionis nihil in eis fuit propositum & decretum. Nec etiam Principes Israel, Duces Tribuum, & Præpositi turmarum, qui ibidem præsentibus fuerunt, ad Concilium spectant.

XXVI. Ad 4. Salomonem 3. Regum c. 2. v. 27. non ut Regem, sed ut Prophetam & Executorem divinæ Justitiæ Abiatharem exauthorasse, ac in locum ejus Sadoc exaltasse, ut colligunt Doctores ex eo, quod ibidem v. 27. dicat Scriptura: *Ejecit ergo Salomon Abiathar, ut non esset Sacerdos Domini, ut impleatur sermo Domini, quem locutus est super domum Heli in Silo, nempe propter peccata filiorum ejus* 1. Reg. 2. v. 31.

XXVII. Ad 5. Josaphatum 2. Paralip. cap. 19. constituendo in Jerusalem Levitas & Sacerdotes: sicuti etiam Davidem Paralip. c. 23. cit. inter Levitas ministeria distribuendo aliud non fecisse, quam modò faciunt Reges & Principes Catholici, quando pro Beneficijs certas Personas nominant, aut pro Aula Concionatore, Capellano, Confessario secundum beneplacita sua hos aut illos Ecclesiasticos eligunt, ex quo nulla potestas in Ecclesiam & Religionem præterditur, aut convincitur. Idem de Ezechia, & Josia, atque alijs Regibus Veteris Testamenti sentiendum. Nam Tribus Levi fuit electa à DEO ad ejus & Templi servitium; nec etiam Reges unquam, sed Summi Pontifices consecraverunt Sacerdotes.

XXVIII. Ad 6. falsum esse, Principes sæculares de omni bono Subditorum disponere posse non solum in temporalibus, sed etiam in Ecclesiasticis; cum illorum potestas merè sæcularis sit, & ad Ecclesiastica non se extendat. Absque ullo etiam fundamento veritatis dicitur, per sæcularis Magistratus potestatem nihil derogari juribus Episcopalibus; etenim in primis perit Ecclesiasticis debitus respectus, dum à Magistratu sæculari citantur, & divinam potestatem prædicti ab humana judicantur, quod perinde absurdum, ac si filij parentum suorum sint Judices. deinde perit magisterium in rebus fidei, dum Magistratus sæcularis concilia convocat, in ijs præsidet, & etiam decernit, quæ verè Religionis sunt conformia, quæ non sint, demum subtrahuntur media pascendi oves, condendi salutares leges, quibus deviantes in viam rectam reducantur, dispensandi in gradibus matrimonialibus &c. cum plerumque à sæcularibus Magistratibus dependeat. Ecclesiæ unitati non adversantur Ecclesiæ particulares, si omnes ista dependeat ab eodem Capite Ecclesiastico & supremo. Verum si singulae particulares singulis & diversis Capitibus pareant, quorum nullum alteri est subiectum, & hujus judicium in rebus Religionis agnoscit, quomodo Ecclesiæ Unitas non est sublata? Cæterum verissimum est, defensionem Ecclesiæ ab Ethnicis etiam Principibus haberi, sed isti inde non sunt Capita Ecclesiæ, nec in hanc potestatem habent, de quo solo impietentiarum lis est.

XXIX. Ad 7. denique argumentum, si Hadrianus Papa facultatem concessit Carolo M. eligendi Papam, hoc ipso Carolus non habuit illam vi Cæsareæ suæ Authoritatis & Sæcularis potestatis. Unde argumentum istud evidenter contrariatur Ad-

versarijs. Dixi. Si concessit. Nam Card. Barthelemy An. Christi 774. satis ostendit: Gregorium autem in Apologia fuse demonstrat, Hadrianum Carolo prædictam facultatem non concessisse, sed Gratianum à Sigeberto (qui post 300. annos primus istud de Hadriano scripsit) decipi se permisisse. Videatur Nicolaus Schalen in lib. recens edito, cujus titulus: Carolus M. Roman. Imperator. lib. 2. cap. 7. fol. 246. Constantinum controversiam Cæcilianam commississe Melchiadi, & hujus Collegis componendam: atque ipsum in negotio Felicis Aprungitani tandem judicium tulisse, concedimus: negamus verò, Constantinum inde potestatem sibi in Ecclesiam & Religionem arrogasse. tum quia ægrè tulit, Donatistas ad se appellasse, unde exclamavit: *ô valida furoris audacia! sicuti in causis Gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt, ut refert Optat. L. 1. contra Parmenium quia in negotia hæc solum se immiscuit, ut Donatistas compelleret, qui judicium Melchiadis Papæ & aliorum Episcoporum acceptare recusaverunt, ut ait Augustin. epist. 162. qui Ecclesiasticam potestatem & mentem Constantini utique melius novit, quam Adversarij. Cæterum Constantinus in Concilio Nicæno luculenter ostendit, nullam sibi esse potestatem in Personas & res Ecclesiasticas, dum in illo Episcopos judicare noluit: *DEUS, inquit, vos constituit Sacerdotes, & potestatem dedit de nobis quoque judicandi; & ideo Nos à vobis rectè judicamur, vos autem non potestis ab hominibus judicari.* Ita de ipso scribunt Rufinus Lib. 1. cap. 1. & Sozomenus L. 1. c. 16. Non minus alij Imperatores Theodosius, Marcianus, Leo, Honorius, Valentinianus, Justinianus certè ac semper sibi persuaferunt, nullum se in Ecclesiam ac Religionem habere potestatem: nec exhibere Adversarij possunt historicos, qui aliud de ipsis cum fundamentum veritatis scribant.*

XXX. Error tertius est communis fere Hæreticorum hujus temporis, Ecclesiasticam potestatem & Politicam conjungi in Pontifice & Episcopis, exerceri quoque non posse. Ita Calviniani apud Amesum Tom. 1. à fol. 238. Et ex Lutheranis Gerhard. L. 2. P. 1. fol. 656. Tob. Wagner in censuris motivorum Doct. Christoph. Besoldi à fol. 145. Moventur maximè his Sac. Scripturæ fundamentis. 1. Matth. 20. v. 25. cum Christus dixisset discipulis suis: *Satis, quia Principes Gentium dominantur eorum, & qui Majores sunt, potestatem exercent in eos,* mox vers. sequenti addit: *non ita erit inter vos &c.* 2. Luc. 12. v. 14. ubi Christus rogatus, ut hereditatem inter Fratres divideret, respondit: *homo, quis me constituit Judicem aut Divisorem super vos.* Et Actor. 6. v. 2. ubi Apostoli ajunt: *non est æquum nos relinquere Verbum DEI, & ministrare mensis.* 3. Iex 2. Tim. 2. v. 4. ubi sic loquitur Paulus: *Nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus;* quæ verba, inquit Amesus fol. 247. dicuntur Episcopis; subsumit: *At non potest Princeps non implicare se negotijs sæcularibus.* Tobias Wagner ex allatis textibus præferit Matthæi 20. & Luc. 22. v. 25. infert, conjunctionem potestatis Ecclesiasticæ & Politicæ in Papa & Episcopis esse contra jus divinum, esse confusionem Babylonicam, esse immiscibilia &c. 4. Constantini Magni donationem esse prorsus incertam, cum etiam Cardin. Baronius fateatur, instrumentum hujus donationis esse falsum & commentitium. Verba illius refert Gerhardus loc. cit. folio 713.

XXXI. Error iste hodie non malè dici potest proprius Puritanorum, hoc est, qui Calvinum strictè sequentes Principatum Ecclesiasticum unà cum Politico funditus uolunt sublatum; quos Puritanos (qualis etiam est Amefius) Anglo-Papistæ inter paucos annos integris libris oppugnârunt, & ex Sac. Litteris & Patribus Principatum Ecclesiasticum cum Politico coherere asseruerunt, quod nominatim Henricus Hammondus iusto volumine contra Blondellum Gallum præstitit. Lutherani in Apologia in art. de potest. Eccles. aliud non habent, quàm Episcopos non habere potestatem gladij ex Evangelio, sed ex jure humano ab Imperatoribus & Regibus donatam; quod nullo verbo reprehenditur, imò ait Apologia, Evangelicos sæpe testari, quod Imperatorum ac Principum donationes non reprehendant, quod tamen utique reprehensione dignum foret, nempe quod Imperatores & Reges donationibus tot Episcopos ad Principum dignitates extulerint, si Ecclesiastica & Sæcularis potestas jure divino essent immiscibilia aut simul coherere non possent, ut Tob. Wagner loc. cit. Meno Hannekenius in Irenico Catholico-Evangelico fol. 278. & nonnulli Lutherani sibi imaginantur.

XXXII. Respon. ad 1. Christum Dominum eo loco solum instituisse metos Principes Ecclesiasticos, docuisseque, debere eos, ut tales sunt, præesse subditis non more Regum ac Dominorum, sed more Patrum & Pastorum; unde haud sequitur, non posse unum eundemque esse Episcopum & Principem, ut præter Catholicos hunc locum etiam exponunt Luthero-Calvinistæ contra Puritanos. Ad 2. utroque loco moneri Episcopos & Clerum, ne minutis & vilibus officijs ita occupentur, ut omittere majora cogantur, uti lethro fuasit Moyse Exodi 18. & S. Bernardus lib. 1. considerat. ad Eugenium hortans Papam, ut judicia rerum temporalium alijs dimittat, quem tamen sciebat, jam tunc Principem quoque temporalem fuisse. Ad 3. Apostolum non prohibere regimen politicum, sed nimiam sollicitudinem circa vitam temporalem; etenim per negotia sæcularia intelliguntur mundana, v. g. cura victus &c. ut ex S. Chrysothom. Theophyl. & alijs notat Tirinus in cit. locum. Quare in Papatu nulla est confusio Babylonica, dum Papæ & Episcopis uterque gladius vindicatur; quippe hæc immiscibilia non sunt: nec rationi repugnat, unum, qui potestatem in majora & superiora habet, eandem sibi vindicare in minora ac inferiora; sed ex eo nascitur confusio, si naturâ inferior & sæcularis potestas se supra altiorem extollat, & Personas resque Ecclesiasticas sibi habeat subjectas, uti apud Sectarios fieri amat, & Principes Sæculares in Spiritualia æquè ac temporalia potestatem habent; hæc Babylonicam esse confusionem fatetur Luther in concione, quam Domin. Trinit. 1537. Wittenbergæ habuit, cujus tamen confusionis suâ ipse apostata author fuit. Ad 4. Constantini M. donationes Ecclesiæ Romanæ factas luculentis rationibus demonstrat Gretserus in Append. 1. commentarioli de Imperat. Reg. ac Principum munificentia in Sedem Apostol. In examine mysterij Pleseani c. 10. Et in Apologia pro Card. Baronio c. 21. Nam loquitur iste solum de instrumento Donationis, ut hodie circumfertur; alijs eandem donationem Constantini efficacibus etiã argumentis ostendit ad A. C. 324. n. 117.

CONTROVERS. XXXV.

DE ANTICHRISTO. AN ISTE sit Papa.

I.

Nidignum jure videri possit Catholico Doctore, Disputationibus de prærogativis ac potestate Summi Pontificis, de quibus hæctenus egimus, admiscere quæstionem de Antichristo, num iste sit Romanus Pontifex, idemque homo existat filius perditionis, & DEI in terris Vicarius? Sed ad quid non cogit diabolica semperque Apostolica Sedi infesta hæresis? quæ impie dicere & scribere audet, Romanum Pontificem esse Antichristum sacrilegè ad hoc asserendum Sacra Scripturâ, & Vaticinijs Prophetarum abusa, præsertim Ezechielis cap. 39. Danielis cap. 7. & 11. Matth. c. 24. Pauli 2. ad Thessalonicenses cap. 2. Joannis Epist. 1. cap. 2. & 4. atque Apocaly. c. 13. 19. & 20. ubi multa valde obscura de Antichristo tanguntur. Agunt hac de re fusillimè ex Italis Card. Bellarminus lib. 3. de Rom. Pontifice per capita 24. Ex Gallis Florimundus Remondus integro volumine. Ex Germanis nostris præter alios hæreticorum malleus ille Jacobus Gretserus libro itidem integro, qui est tertius Defensionis Bellarmini tomo secundo, ubi hæc ejusdem est censura meritissima contra hæreticos Papamastiges. *Tametsi Novatores, inquit, in omnibus controversijs, quæ nobis cum ipsis intercedunt, petulantia, mendacijs convitijs, & contumelijs insigniter instructi in aciem procedant, in hac tamen de Antichristo disceptatione seipos longo intervallo superant, & ut, quod volunt, obtineant, nempe Romanum Pontificem esse Antichristum, nullius eos pseudologia sive mendacij, nullius löidoria sive maledicti, nullius antilogia sive contradictionis, nulliusque depravationis & corruptele puder, ita ut, cum alibi Scribas, hic Mænadæ agere videantur.*

II. Prius autem quàm ad aliqua particularia descendamus, generatim advertendum, quemadmodum vox Christi in sacris litteris dupliciter sumitur 1. pro quolibet Propheta, uti Psal. 104. v. 15. *Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.* 2. strictius pro Principe Prophetarum Messia. Ita nomen Antichristi bifariam usurpanti 1. latè pro omni falso Doctore, qui doctrinam Christo repugnantem spargit; quo sensu dicitur Joan. 2. v. 18. *Nunc Antichristi multi sunt, id est, hæretici multi de Christo malè sentientes.* 2. strictè per antonomasiam pro insigni quodam Adversario Christi, qui non solum ejusdem doctrinæ adversatur, sed etiam illius officium sibi vendicat, atque ipsum vocabit impostorem, se autem Messiam jactabit, quem hæretici distinctionis causâ Magnum Antichristum appellant, eumque esse Romanum Pontificem affirmant. Pro hac igitur immani calumnia tam breviter quàm solidè restitanda tria enucleatè expendemus. 1. Utrum Magnus Antichristus sit unus homo singularis, an plurium hominum colluvies. 2. quas Notas tradat Sac. Scriptura ad dignoscendum hunc Antichristum. 3. An hæ notæ Romanis Pontificibus conveniant.

gha.
er
ologia
emica
XI
9.

PARS PRIOR.

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

III. **D**octrina prima. Magnus Antichristus est unus singularis homo. Ita Catholici Doctores omnes, & pro articulo fidei tenent; ut testatur Cornelius à Lapide in 2. ad Thessal. 2. Probatur 1. ex Sacra Scriptura, quæ Antichristum singulari numero & præposito articulo describit ad significandam unius hominis singularitatem. Ut autem huic argumento sua sit vis & robur, non ita id nudè proponimus; alioquin nonnullis instantijs everteretur, cum sæpe nomina singularia per Synchdochen multos significant, ut Turca, Diabolus &c. etiam præposito articulo, ut 1. Joan. 4. v. 2. Sic igitur formamus. Nomina singularia propriè sumpta significant unum individuum, præsertim si in græco articulus apponatur. Sed Antichristus est nomen singulare appposito articulo & quidem propriè sumptum. Ergo significat unum individuum. Major constat non solum ex Grammatica, sed etiam ex Dialectica, ubi nomina singularia indefinitè posita de descensu ad unum individuum declinari solent v. g. homo currit, idem est, ac hic, ille &c. Minor probatur aliquot locis Sac. Scripturæ inferius citandis, maximè ex 2. Thessal. 2. v. 3. *Nisi venerit discessio primum, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur & extollitur supra omne, quod dicitur DEUS. Et v. 8. tum revelabitur ille iniquus, quem Dominus JESUS interficiet Spiritu oris sui.* In græco; ὁ υἱὸς τοῦ ἀποστατοῦ, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνομίαν, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνομίου, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνομίαν, quasi ad verbum dicas: ille homo peccati, ille filius perditionis; ille adversarius, ille iniquus. Quæ propriè accipienda esse, docet communis regula Interpretum, quod verba Scripturæ propriè accipienda sint, quamdiu sine absurdo queunt; hic autem nullum sequitur absurdum, si nomen Antichristi propriè pro uno singulari homine sumatur.

IV. Probatur 2. Talis erit Antichristus, quem Judæi expectant, & pro Messia recipient, teste Christo Joan. 5. v. 43. *Ego venio in nomine Patris mei, & non accipitis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Sed Judæi non expectant, nec recipient, nisi unum hominem singularem. Ergo Antichristus erit homo singularis; aliàs enim Christus non dixisset, alius veniet, sed alij venient. Probatur 3. Antichristus regnabit tantum tribus annis & dimidio, ut infra videbimus; unde Augustinus L. 20. de civitate DEI cap. 23. *Antichristi, inquit, adversus Ecclesiam sevisimum regnum, sed exiguo temporis spatio sustinendum, donec DEI ultimo judicio regnum Sancti accipiant sempiternum; qui vel dormitans hac (qua habentur Danielis) legit, dubitare non finitur.* Ergo erit unicus homo; etenim multitudini Regum sibi succedentium tam breve tempus non sufficeret, ut nimis manifestum est. Probatur denique 4. autoritate Patrum, qui vaticinia Prophetarum de venturo Antichristo de unico singulari homine accipiunt, ut ostendit Bellarminus L. 3. de Rom. pontif. c. 6. Sufficit nobis S. Hieronymus in cap. 7. Danielis sic scribens: *Ergo dicemus, quod omnes Scriptores Ecclesiastici tradide-*

runt, in consummatione mundi, quando regnum destruetur, in quo totus Satanas habitaturus est corporaliter. Quis autem credat, tot ac tam prudentes ac doctos viros tot sæculis in hac re semper fuisse hallucinatos, nec DEUM ulli eorum ream tanti momenti revelasse, unde pendet salus æterna; ne quis ab Antichristo seducatur: hoc autem mysterium reservasse novissimis Prædicatoribus impuris, ebriosis, flagitiosis &c?

V. **D**octrina secunda. Idem Antichristus magis nondum venit in hunc mundum. Ita quoque omnes Catholici Doctores, idemque unanimiter Patres & veteres Scriptores Ecclesiasticos sensisse, patet ex verbis S. Hieronymi in fine prioris S. allatis. Probatur 1. Antichristus non veniet, nisi prius eversum & desolatam fuerit Romanum Imperium, ut passim tradunt antiqui Patres Græci & Latini, idque ex diversis S. Scripturæ locis confirmant, ac nominatim in hunc sensum Cornelius à Lapide, & alij S. Scripturæ Interpretes apud Bellarm. cap. 5. explicant primam partem epistolæ D. Pauli 2. ad Thessal. cap. 2. usque ad vers. 8. inclusivè; quorum verborum de industria obscurissimum explanationi Catholica hæc est: *Nolite terri, & ne in errorem induci vos patiamini, & mei Thessalonicenses, v. 2. quasi instet dies Domini, hoc est, judicium extremum proximè imminet: v. 3. quoniam nisi venerit discessio (anarxola) scilicet defectio & rebellio illa celebris, in qua plurimæ gentes eousque fideles ab Antichristo seductæ tum ab Imperio Romano, tum ab Ecclesia deficient: v. cit. & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis &c.* hoc est, nisi etiam Antichristus ipse post hæc in mundo appareat, qui omnem præ se DEUM contemnet, & ipse DEUS haberi volet, non adveniet extremi judicii dies. Equidem v. 7. *Mysterium iniquitatis jam operatur, hoc est, Mysterium five Symbolum & figura illius Antichristianæ iniquitatis (nempe Simon Magus, ejusque Ascleæ, & Imperatores Romani Claudius & Nero alijque illis similes Tyranni, Infideles, Hæretici) figura, inquam, illa jam hoc tempore operatur, & viam sternit Antichristo, cum hi dicti hæretici & Infideles eodem profusus Spiritu agantur, quo agetur olim in excindendo Christianismo Antichristus; iste tamen, qui est res ipsa figurata, nondum comparet. v. 6. Quid detineat, scitis; hoc est, quid remoretur adventum judicii extremi, & ipsum quoque Antichristum noſtis; scilicet discessio five generalis illa apostasia nondum advenit v. 7. cit. *tantum, ut qui tenet nunc, teneat, hæc, inquam, discessio & defectio illa omnimoda tantum remoratur adventum judicii & Antichristi, ut ex dictis nosse potestis; debet enim prius imperium Romanum everti.* Restat igitur, ut qui tenet nunc imperium illud, Claudius scilicet, & post eum Nero, Domitianus, Valerianus, Diocletianus, & qui istos in Imperio sequentur, pergant illud tenere five obtinere, ibid. *donec de medio fiat, id est, penitus tollatur Romanum ipsum Imperium, & evertatur, & tunc primum adveniet & Antichristus, & Christus Judex atque Everfor Antichristi.* Jam sub hac Majore ex ipsis fere verbis Jacobi Tirini desumpta Sublimo. Atqui Imperium Romanum nondum est eversum & desolatum, sed manet adhuc successio & nomen Imperatorum Romanorum*

norum : & eum Romanum scil. Imperatorem, qui & Germaniæ Rex est, agnoverunt hætenus atque etiamnum agnoscunt omnes Europæ Nationes, frustra hæreticis ac æmulis quibusdam è pseudopoliticorum fece occlamitantibus. Ergo &c. Non effugiunt Meno Hanneken in suo Irenico fol. 307. & alij sectarij vim hujus argumenti, dicendo, de medio fieri, esse diminui, non verò destrui. Nam repugnat istud non solum Sanctis Patribus, sed etiam Grammaticis bonis, imò & Erasmo, Beza atque alijs adversæ partis, qui paulò emunctorioris sunt naris. Profectò qui diminutus est, tenet; ac qui tenet, non est de medio sublatus. Ergo qui diminutus est, non est de medio sublatus.

VI. Probatur 2. Tempore Antichristi venturi sunt duo testes, qui *amicti sacco* seu cilicio *propheta- bant diebus mille ducentis sexaginta, & habebunt potestatem claudendi cælum, ne pluat diebus prophetia ipsorum. & potestatem convertendi aquas in sanguinem.* Apoc. II. v. 3. Atqui isti duo testes nondum venerunt. Ergo &c. Sectarij adventum istorum præ inani commento habent. Verùm nemo nisi impudens rabula commentum inane dixerit, quod ad nutum S. Scripturæ tradunt Patres, è quibus sic loquitur Tertullianus juxta 5. cap. Genes. & II. Apoc. cit. in lib. de Anima: *Translati est Enoch & Helias, nec mors eorum reperta est, dilata scil. ceterum morituri referuntur, ut Antichristum sanguine suo extinguant.* S. Ephrem de Antichristo. Tom. I. fol. 224. *Præquam cuncta ista fiant, mittet misericors DEUS Eliam Thebyten & Enoch, qui palam populo prædicent, ne illi credant, audacter clamantes atque dicentes: Antichristus hic est, atque seductor.* Similia habent S. Ambrosius, Augustinus & alij relati in Papatu Catholico Tom. I. à fol. 286. Sed dicent Adversarij, si isti duo testes non sunt Elias & Enoch, qui alij putandi sunt? Meno Hannekenius in cit. Irenico suo fol. 317. suavissimè se subque decipit fingendo, fore Prædicantes Lutheranos (Joannem Hufs, Martinum Lutherum & similes intendit) facis non externæ corporum mortificationis sed interni animorum doloris amictos; decipit, inquam, se subque Meno hoc suavi figmento & sacrilego Scripturæ abusu. Nam Prædicantes Lutheranos atque imprimis Hufs & Lutherum per falsam suam doctrinam & hæresin, per odium & rancorem contra Papam, per contemptum Sacrorum & Ecclesiasticorum, per carnalem vitam atque apertas ad omnem morum licentiam portas Antichristo viam latè sternunt, ac propterea multò rectius censendi sunt prodromi Antichristi futuri, quàm hujus jam præsentis Adversarij.

VII. Probatur 3. Tempore Antichristi erit tribulatio magna, qualis ab initio mundi non fuit usque modò, neque fiet Matth. 24. v. 21. ita ut idcirco etiam *Satanas modico tempore dicatur solvendus* Apoc. 20. v. 3. & 7. Atqui tribulatio hæc nondum facta apparet. Nam punitio hæreticorum per Sacram Inquisitionem non potest etiam collectivè sumpta conferri cum una persecutione vel Diocletiani, vel cujusquam alterius Tyranni: Et vice-versà Calvinistæ in Gallia & in Belgio intra 15. annos plures Catholicos horrendè cruciatus enecarunt, quàm sacra Inquisitio hæreticos combusserit ferè per centum annos. Videri potest Libell. de persecutione Anglicana. lib. de concertatione Ecclesiæ Catholicæ in Anglia. Theatrum Calvi-

nisticæ crudelitatis. Florimundus Remundus utraque parte historiarum &c.

VIII. *Doctrina tertia.* Romanus Pontifex non est Antichristus. Ita quotquot omni tempore fuerunt Catholici. Probatur 1. autoritate SS. Patrum, qui Papam pro summo Pastore & Capite Ecclesiæ venerati sunt; quis autem credat, hos Sanctissimos & doctissimos viros, qui per mille & amplius annos in Ecclesia floruerunt, tam graviter fuisse lapsos, ut Antichristum, hoc est, summum Christi hostem & Adversarium pro Christi Vicario & summo Ecclesiæ Pastore haberent? neque tot tantæque scripturas, quæ de Antichristo extant, quasque Sectarij velut evidentissimæ veritatis argumenta jactant, ulla ex parte intelligerent, sed ab ijs tam diversa summo consensu traderent? Ajunt Novatores, autoritate Patrum se neque tantillum moveri, quia mysterium hoc non tantum illis, sed etiam ipsi Danieli clausum erat usque ad tempus statutum, Daniel. 12. v. 4. Scilicet vanissimi isti homines non solum SS. Patribus, sed ipso etiam Prophetâ Daniele oculatiore & scientiores sunt! vers. 4. cit. per ista verba *tu autem Daniel claudes sermones, nihil aliud vult Spiritus Sanctus, quàm ut Daniel res hucusque ipsi expositas diligenter annotaret & annotatas obfignaret ac clauderet, donec opere compleantur.* Et quomodo ex hoc eruitur, mysterium Antichristi per tot sæcula fuisse Sanctissimis Patribus clausum, nunc autem impijssimis hominibus reclusum?

IX. Probatur 2. ex doctrina Antichristi, quæ juxta Sac. Scripturam in his 4. punctis consistet. 1. negabit, JESUM esse Christum 1. Joan. 2. v. 22. & ideo oppugnabit omnia Salvatoris nostri instituta. 2. asseret, se esse verum Christum Joan. 5. v. 43. scil. in Lege & Prophetis promissum. 3. affirmabit, se esse verum DEUM, & pro DEO haberi ac colli volit 2. Thessal. 2. v. 4. ita ut in templo DEI fideat, ostendens se, tanquam sit DEUS. 4. non modò se DEUM, sed etiam solum DEUM esse dicet, & oppugnabit omnes alios DEOS, id est, tam DEUM verum, quàm DEOS falsos & omnia idola 2. Thessal. 2. v. 4. cit. qui adversatur & extollitur super omne, quod dicitur DEUS. Quis autem ex Romanis Pontificibus aliquid horum fecit? quis Jesum negavit Christum? quis asseruit, se esse verum Christum? quis affirmavit, se verum Deum esse, & pro tali coli voluit? quis demum se solum esse Deum dixit? Nonne omnes Romani Pontifices toti sunt in asserendo, JESUM esse Christum, verum Deum ac Hominem & Salvatorem mundi? nonne omnes se totos impendunt fidei ac cultui Christi propagando & promovendo? Nonne omnes isti tam publice, quàm privatim coram Christo vel in SS. Eucharistia præsentè, vel ex cruce pendente, vel alijs modis representato in pedes se abiciunt, supplices illum adorant, & DEUM ac Dominum suum profitentur? quæ ergo impudentiâ & infantiâ dici Antichristus possunt? Similis probatio sumitur ex miraculis Antichristi, quorum tria sunt præcipua. *Primum.* Finget se mori & resurgere Apoc. 13. v. 3. *Alterum.* Faciet, ut imago bestię loquatur ibid. v. 15. *Tertium.* Ignem de cælo descendere faciet. ibid. v. 13. Nihil autem horum fecerunt Pontifices Romani, nec nisi falsè & stolidè aliqua eorum facta huc trahi exponique possunt. Ergo non sunt Antichristus.

gha.
er
ologia
emica
XI
9.

X. Probatur 3. ex ijs, quæ de Regno & prælijs Antichristi in Sac. Scriptura leguntur. *Primum.* Antichristus ex humili prodiens loco per fraudem & dolum regnum Judæorum obtinebit. Danielis II. v. 21. *Stabit in loco ejus despectus &c.* quem locum, inquit Hieronymus, *nostri rectius & melius interpretantur, quod in fine mundi hic sit futurus Antichristus, qui consurgere debet de modica gente, id est, populo Judæorum, & tam humilis erit & despectus, ut ei non deur honor regius, sed per insidias & fraudulentiam obtineat principatum.* *Secundum.* Pugnabit cum tribus Regibus Ægypti, Libiæ, & Æthiopiæ, eorumq; regna occupabit Danielis 7. & Apocal. II. ubi S. Hieronymus habet solennia illa verba (*dicimus, quod Ecclesiastici tradiderunt &c.*) supra allegata. *Tertium.* Subjugabit sibi alios Reges septem, & sic mundi totius Monarcha futurus est, ut ex Danielis 7. & Apocal. 17. Hieronym. Chrysostomus, Cyrillus & alij tradiderunt. *Quartum.* Cum innumerabili exercitu Christianos toto orbe persequetur, quod est prælium Gog & Magogi juxta Ezechielem 38. & 39. & Apocal. 20. Nunquid autem hæc omnia Euclydæa demonstratione evidentius ostendunt, Papam non esse Antichristum? Ubi enim & quando Romani Pontifices per fraudem & dolum Judæorum regnum obtinuerunt? decem Reges debellarunt? Christianos toto orbe cum exercitu persecuti fuerant?

XI. Probatur 4. Antichristus ejusque Pseudopropheta post exercitum eorum ad internecionem deletum vivi à terra dehiscente absorbeantur jussu Christi, ut habetur Apocal. 19. v. 20. his verbis: *Vivi misi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis & sulphuris: & ceteri occisi sunt in gladio (Christi) sedentis supra equum, qui procedit de ore ipsius, & omnes aves saturata sunt carnibus eorum;* quod confirmat Apostolus 2. Thessal. 2. v. 8. *Tunc revelabitur iniquus ille, quem Dominus JESUS interficiet Spiritu Oris sui, & destruet illustratione adventus sui;* hoc est, illustri adventu & vocis imperio. Nemo autem Romanorum Pontificum hoc modo perijt; imò Autoritas & Jurisdictio Pontificia per conversionem Indorum mirè crevit, & apostasiam in Europa abundè supplevit. Ergo Romani Pontifices non sunt Antichristus. Confirmari doctrina hæc posset ex cæteris notis, quæ in Sac. Scriptura Antichristo attribuuntur, & minimè Romanis Pontificibus conveniunt; sed hoc commodius in refutatione oppositi erroris hæreticorum præstabimus.

II. Sublato Antichristo non statim inchoabitur extremum judicium, sed misericors DEUS seductis peccatoribus adhuc aliquantulum spatij concedet ad penitentiam, quam multis terribilibus signis fulminum, terræ motuum, exundationum &c. excitare conabitur. Spatium autem illud temporis, quo plena orbi & Ecclesiæ pax dabitur, nonnulli valde constringunt, ad dies scilicet non multos. Sed cum non solum tunc Christiani, qui lapsi, & ab Antichristo seducti fuerant, reducantur, verum Gentes etiã & Judæi convertantur, ut omnis Israel Salvus fiat; verosimile videtur;

id nonnihil amplius ad paucos forsan annos extensum iri. Sed de hoc Interpretet Sacra Scriptura.

✠:o: IHS. :o: ✠
✠:o: ✠

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

XIII. **E**rror primus est, nomine Antichristi non significari unam personam singularem, sed plurium Christo adversantium continuatam successionem, qualis est Pontificum Romanorum. Ita pertinaciter hæretici contendunt. Amelius tom. I. à fol. 173. Gerhardus lib. 2. Part. I. à fol. 535. Hannekennius in Irenico suo à fol. 297. & alij passim, idque probare conantur. *Primo.* Antichristus cepit tempore Apostolorum, & durabit usque ad finem mundi. Sed unus homo non potest tam diu durare. Ergo Antichristus non est unus homo. Min. patet experientiã mortalitatis humanæ, Maj. probatur ex Scriptura; quod enim Antichristus jam fuerit tempore Apostolorum, testis est Joannes episc. I. c. 4. v. 2. *de quo audistis, quoniam venit, & jam est in mundo.* Et Paulus 2. Thessal. 2. v. 7. *Mysterium jam operatur iniquitatis;* quod autem duraturus sit usque ad finem mundi, indicat ibidem Apostol. v. 8. significans eum à Christo interficiendum: *quem interficiet Dominus JESUS Spiritu oris sui, & destruet illustratione adventus sui,* scilicet, secundi, in primo enim adventu per Incarnationem neminem interemit. *Secundo.* Ex Apocalyp. 17. v. 3. ubi persecutores Ecclesiæ allegoricè depinguntur per figuram septemplexis bestię, cujus 7. capita significant 7. Reges, ut Angelus ipse interpretatus est v. 9. Atqui nomine Regum non possunt intelligi singulares personæ; cum multo plures fuerint Tyranni Ecclesiæ persecutores. Ergo intelligi debent genera Magistratum Reipubl. Romanæ præsentium scilicet Reges, Consules, Tribuni, Decemviri, Dictatores, Imperatores Pontifices. *Tertio.* Opera, quæ Antichristo in Scriptura tribuuntur, videlicet latissimus dominatus per orbem. Danielis 7. v. 24. & generalis seductio omnium fere hominum à fide Christiana 2. Thessal. 2. v. 10. unci hominis operã confici non possunt. Ergo non est credibile, Antichristum fore unicum hominem. *Quarto* testimonio S. Augustini L. 20. de Civitate DEI c. 19. asserentis; *nonnulli non ipsum Principem, sed universum quodammodo corpus ejus, hoc est, ad eum pertinentem hominum multitudinem simul cum ipso suo Principe intelligi Antichristum voluerunt;* quam sententiam S. Pater tacendo probare videtur; etenim qui tacet, consentire censetur. *Quinto.* Nicolaus Pontifex c. in nomine. dist. 23. statuit, Antichristum esse censendum; qui per simoniam in Papam fuerit electus, c. Pervenit. caus. 16. q. 7. decernitur, eum; qui Laicalibus personis decimas confert, inter maximos hæreticos & Antichristos non minimum esse habendum. Ergo non unica tantum persona est Antichristus, sed plures.

XV. Errorum tum istum, tum sequentes, nempe Antichristum non esse unam singularem personam, eundemque jam pridem venisse in mundum, ac Romanum esse Pontificem, solent hæretici impudentissimè ac nequissimè apud rudem plebem inculcare; quo id consilio faciant, facilis est conjectura; nimirum ut sub prætextu Antichristi suam à Fide Catholica apostasiam tegere & excu-

fare

fare valeant, atque impune ipsis liceat (quod apud Catholicos minime audebant) Pontifices, Episcopos, & Magistratum Ecclesiasticum contemnere, vota DEO nuncupata violare, Moniales in uxores ducere, festa & jejunia negligere, sacras ac privatas confessiones omittere, carnis illecebras Sectari, & alia his similia audacter perpetrare. Quod ipsorum consilium vel ex eo patet, quod nihil profus habeant argumentorum, quibus impiam doctrinam suam palliare valeant, sed meris calumnijs, putridis mendacijs, anilibus fabulis, pravis Sacrarum litterarum & Patrum interpretationibus, testibus sui similibus, hoc est, nullâ fide dignis uti cogantur, sicuti in sequentibus aperte constabit.

XVI. Respon. ad 1. ex propositis argumentis. Apostolos, dum ajunt, Antichristum jam suo tempore adfuisse, latè sumpsisse nomen Antichristi pro omnibus Adversarijs Christi, qui magnum illum Antichristum moribus suis præsentabant, idèoque Paulus loc. cit. ait, *Mysterium jam operatur iniquitatis*, q. d. jam ante oculos habemus figuram & exemplum Antichristi, scilicet Neronem, ex quo facile conjici potest, qualis ille magnus Antichristus sit futurus. Circa ista verba Joannis de Antichristo: *quoniam venit, & jam est in mundo*, duo notentur ex Cornel. à Lap. Tirino & alijs. 1. est, quod verbum *venit* non sit præteriti, sed futuri temporis, ut constat ex græco *ἔρχεται* & sumatur pro futuro ad hunc modum: Antichristus, quem venturum audistis, & qui certò veniet, jam in mundo est, non in persona, sed in spiritu, puta in suis præcursoribus, sicut Joannes Baptista vocatur Elias. 2. est, quod in græco non habeantur hæc verba: & hic est Antichristus, sed *hic est Antichristi*, scil. Spiritus, uti præcesserat, quo innuit Apostolus, se non loqui de propria Antichristi persona, sed de ejus Spiritu maligno, qui jam aliquos afflaverat. Confirmatur hæc responsio ex absurdo aliàs secuturo; si enim tempore Apostolorum jam adfuisset Antichristus, tunc fuisset Petrus Apostolus, quia non erat alius Summus Pontifex.

XVII. Ad 2. hæc repugnare & historiæ & textui. Tum quia Dictatores non successerunt Consulibus, quasi ordinarij Romæ gubernatores, sed ijs additi fuerunt quasi extraordinarij, qui tempore gravis belli & periculi eam tutarentur. Similes fuerunt Decemviri. Tribuni quoque plebis fuerunt Patroni, cum Consules Urbem regerent. Tum quia v. 10. de Antichristo dicitur, *oportere illum breve tempus manere*. Atqui Papa longissimo jam tempore scil. 1600. & pluribus annis manet. Nam licet sub Gensericò Roma fuerit vastata, Pontificatus tamen non fuit extinctus; imò S. Leo mansit Papa, eumque reveritus Gensericus à templis manum abstinuit, ac mox Româ discessit: Leo verò ita Rempublicam & Ecclesiam administrare perrexit, ut vix eo major & gloriosior Pontifex deinceps extiterit. Tum quia per 7. capita Apocal. 17. intelliguntur septem Reges, quorum sex præcursores erunt Antichristi: ipse verò præcipuus & septimus. Non obest, eundem referri v. 10. extra septem illos Reges. Nam Anti-Christus duplicem subit personam; unam Regis particularem: alteram Monarchæ totius orbis. Videatur Tirinus in loc. cit. Ad 3. Antichristo omnes diabolos auxiliaturos, ipsum etiam Luciferum tunc solvendum, ut indicat Joannes Apo-

cal. c. 20. v. 2: *Angelus apprehendit Draconem serpente antiquum, qui est diabolus & Satanas, & ligavit eum per annos mille, & misit eum in abyssum, & signavit super illum, ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni: & post hæc oportet illum solvi modico tempore, nimirum tempore Antichristi. Quod ergo inbecillitas Antichristi tam brevi tempore non posset efficere, daemones supplebunt, quorum singuli omnem vim humanam superant, nisi DEUS obsistat; tunc autem non obsistet, sed in penam scelerum permittet; homines enim diurna pace & rerum abundantia fracti mollesque effecti in luxu & libidine sceleratissimam vitam agent, sicuti in diebus Noë Matth. 24. v. 37. Ad 4. S. Augustinum allatam sententiam hoc ipso refellere, quod suam longè diversam substituat; quamvis nec illa Sententiâ hæreticis faveat; quia per hominum multitudinem non intellexit plures Reges sibi succedentes, ut exponunt hæretici, sed plures asseclas, etique adhaerentes fautores. Unde Ad 5. argumentum. Antichristum, licet in se physicè una sit particularis persona, nihilominus dici moraliter posse Corpus & plures personas, latiore modo accipiendo nomen Antichristi pro omnibus Christi adversarijs, ut paulò supra diximus; quales non solum sunt Simoniaci, sed vel maxime hæretici, qui legem ac doctrinam Christi contemnunt & invertunt; unde à Patribus dicuntur prodromi Antichristi, & unum cum isto corpus efficere. Authòr operis imperfecti in Matth. hom. 49. *exercitus Antichristi*, inquit, *sunt omnes hæretici*.*

XXIII. Error secundus est. Antichristum jam venisse. Ita universim Sectarij nostri temporis, existimantes ex Sacra Scriptura id evidentè ostendi posse. Mirum sanè, hosce cæcos populi duces videre in Scriptura, quod omnibus retro sæculis Sancti Patres lineis suis & divino lumine illustratis oculis non perspexere! certè omnes unanimiter tenent, Antichristum non nisi ultimis temporibus adfuturum, cum extremum mundi judicium appropinquaverit, & Evangelium in toto orbe jam prædicatum fuerit juxta illa Christi verba Matth. 24. v. 14: *Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio*. Hanc autem universalem prædicationem jam factam esse, & consequenter Antichristum advenisse, minime eosdem cernere, patet ex his verbis Origenis in Matth. hom. 28. *Siquis temere dicere vult, prædicatum jam esse Evangelium regni in toto orbe in testimonium omnibus Gentibus, consequenter dicere poterit, & quod ait: tunc erit finis, jam finem venisse; quod dicere temeritatis est magne, & hominis non intelligentis &c.* Similia habent alij Patres relati in Papatu Cath. Tom. 1. fol. 210.

XIX. Præterea si adeo claret, advenisse Antichristum, & hunc esse Papam, cur tanta, tamque turpis est dissensio inter Novatores, quando venerit, ceperitque Romanus Pontifex esse Antichristus? *Gabriel Povelius Anglus* vult Antichristum jam tempore Apostolorum fuisse natum. Sed cum alijs tunc Papa non fuerit, quam S. Petrus, sequitur hunc fuisse Antichristum, quæ est immanis blasphemia. *Mornæus Calvinista* in suo mysterio iniquitatis primum Antichristum facit Victorem I. eò quod potestate suâ abusus Asiaticos Episcopos illos excommunicaverit, qui parere decreto suo de celebrando Paschate noluerunt. Sed quis Daniel, quis Paulus, quis Joannes hanc no-

gha.
er
ologia
emica
XI

travit Antichristi notam? *Isto nihilo sapientiores alij inter Antichristianos Pontifices ponere audent omnes illos, quotquot in historijs reperuntur aut missas celebrasse, aut ordini missæ aliquid addidisse, quales ipsis sunt Alexander I. Telesphorus, Marcus, Gelasius, Siricius, Leo I. & Innocentius I. quorum duo primi ipso S. Victore antiquiores sunt, atque ambo Martyres etiam Christi fuerunt. Sed quæ dementia? an Martyrium pro Christo subibit Antichristus? cæteri vitæ Sanctitate & Zelo Christianæ fidei fuerunt longè clarissimi & in omnibus historijs laudatissimi Papæ, an talis juxta Sacram Scripturam erit Antichristus? Jacobus Hailbrunner, & nonnulli alij hæretici dicunt, Antichristum sub Imperatore Constantino M. circa annum 312. suum habuisse initium. Sed fuitne Constantinus Imperator, vel Sylvester Papa? Sylvester, ajunt utique. Ergo Antichristus primum Imperatorem Christianum per datum baptismum Christo peperit, simulque Romanum Imperium ejusdem fidei & Ecclesiæ subiecit? quo quid ineptius & stolidius fingi potest? unde bene Adversarij Milesiam illam fabulam in confirmationem afferunt, quod eo tempore in aère hæc vox sit audita: *hodie venenum infusum est Ecclesiæ*; scilicet per luculenta illa dona, quibus Constantinus M. affecit Ecclesias, de qua fabella videri potest Gregorius contra Mystam Salmuriensem, sive Mornærum prædictum. *Illyricus & Magdeburgenses* centuriâ 6. cap. 1. docent, Antichristum fuisse conceptum an. 406. & crevisse anno 500. ac demum an. 608. natum fuisse sub Imperatore Phoca. Consentiant Meno Hannekennius in suo Irenico fol. 370. & non pauci alij asserentes, tunc erupisse Antichristum, quando Bonifacius III. Primatū Pontificatus à Phoca impetravit, & se Caput Ecclesiæ atque Episcopū universalem appellavit. Ab his vix dissentiens*

XX. *Lutherus* Gregorium M. tradit ultimum fuisse Romanum Papam: cæteros verò omnes, qui secuti sunt, Antichristos; unde in cap. 13. Apocal. scribit, *Papatum stesisse annis 666. & post hos Antichristum advenisse*. Hæc opinio communior est non solum Lutheranorum, sed etiam Reformatotum. Sed contra istos omnes est. Tum quia Joannes II. Papa à Justiniano (qui centum fere annis Phocam antecessit) Caput omnium Ecclesiarum fuit appellatus, ut habetur Cod. L. 1. tit. 1. post leg. 3. titulum autem Universalis Episcopi nec Bonifacius III. vir Sanctissimus, nec alij Romani Pontifices sibi arrogarunt, sed isto ambitiofis Constantinopolitanis Patriarchis erepto in vicem substituerunt illum modestiâ plenissimum: *Servus Servorum DEI*; quo certè Antichristus nunquam utetur. Tum quia Gregorius M. in summa pace & concordia rerum Fidei ac Religionis fuit cum omnibus Ecclesijs Orientis & Occidentis, ut constat ex ipsius Epistol. ad omnes Ecclesias missis. Tum quia post tempus Gregorij Magni circa annum Christi 608. sub Imperatore Pogonato celebratum fuit Concilium sive sexta Synodus Constantinopolitana Oecumenica, quam veluti legitimam ipsimet hæretici agnoscunt; cui tamen præfuit Agatho Papa Romanus, quem Patres congregati suum Patrem, & summum Pontificem appellant Act. 18. Unde sic arguo. Vel Agatho Papa fuit Antichristus, vel non? Si Primum. Ergo Antichristus fuit tunc Pater Episcoporum & Christianorum. Si secundum. Ergo nec

alius Papa ejus Successor est, aut fuit Antichristus. *Ecce mentita est iniquitas sibi* psal. 26. v. 12. quod ipsum cernere est in omnibus alijs hæreticorum opinionibus, quarum tamen plures referre nolo. Videri potest Card. Bellarminus Lib. 3. de Pontific. cap. 3.

XXI. Unam adhuc opinionem silentio prætereire non possum, & est *Hugonis Grotij Hollandi*, qui prorsus ab alijs dissentit in appendice de Antichristo, putatque omnia, quæ Sacræ literæ de Antichristo produnt, jam effectui esse data in primis sæculis & immanibus Gentilium Imperatorum persecutionibus. Unde Christianos, qui Antichristum adhuc venturum jaçantibus, Nequaquam igitur concedit ex locis, quos alij hæretici ex Sac. Scriptura adducunt, inferri, nitèque concludi, Romanum Papam esse Antichristum, de quibus idcirco scribit: *Esse illos ipsos, qui nullam Religionis pacem ac concordiam, sed tantum lites & discordias optant, & idcirco contremiscunt, si de compositione Controversiarum Religionis aliquid audiunt, quia scilicet multum ipsorum interest, Romanum Papam censeri Antichristum; siquidem plerique illorum medijs vita sustentanda destituerentur, nisi hæc dissensio foret: & si commoda sua temporalia inde non sperarent, nec minima apud eosdem cogitatio futura esset hujusmodi opinionis & Sacræ Scripturæ eruenda*. Hæc Grotius, qui uti decipitur, dum contra evidentissima Sacræ Scripturæ & Patrum testimonia putat, Antichristum jam venisse, ita ipsissimam veritatem tangit in ijs, quæ de alijs Sectarijs affirmat; quos non male similes dixeris duobus illis scelestis & libidinosis Senibus, qui castissimam Susannam tanquam adulteram traduxerunt, & tamen hujus adulterij nec locum nec tempus ostendere potuerunt *in capita sua mentis*. Danielis c. 13.

XXII. *Error tertius est*. Antichristum Magnum esse Pontificem Romanum. Ita passim hæreticis quibus Gabriel Povellus Calvinista sic asseverare audeat: *DEUM Sanctè testor, tam certò me scire, Pontificiam Ecclesiam esse Antichristi Synagogam, quàm DEUM ipsum esse in calis, Creatorem visibilium & invisibilium: & JESUM Christum verissimum Messiam*. Consentit Danhawerus Lutheranus affirmans: *Tam persuasissimum, Papam esse Anti-Christum, quàm JESUM Mariæ Filium esse Christum; cui ad stipulatur Doct. Hoë in cap. 17. Apocal. ubi mundo ad oculum demonstrare se arbitratur, Papam esse Magnum Antichristum*. Nituntur unicè notis Anti-Christo in Sacra Scriptura attributis, quas omnes & singulas Romano Pontifici optimè convenire, asserit Amestius *ipso etiam Catholicos probè intelligere*; quasi verò mendacissimus iste Puritanus perspiceret, quid Catholici intelligerent, & in cordibus suis voluerent. Assignantur autem notæ in Sacra Scriptura sex, ex quibus Antichristus discerni valeat. Videamus breviter singulas, num in Romanum Pontificem conveniant.

XXIII. *Prima est nominis numerus continentis* 666. ut enigmate insinuat Joannis Apocal. 13. v. 18: *Qui habet intellectum, computet numerum bestie. Numerus enim hominis est: & numerus ejus sexcenti sexaginta sex*. hoc est, tale erit nomen Antichristi, ut si ejus litteræ more græco in numeralibus sumantur, conjecturæ sint numerum 666. sicuti in simili Sybilla de Christo prophetavit, ejus Nomen

fore

fore 888, qui numerus exacte reponitur in Nominem

J	10
Y	8
S	200
O	70
V	400
S	200
<hr/>	
	888

Hæc Nota nihil evincit, quia vel nulli vel paucissimi Pontifices Romani habuerunt nomen, cuius litteræ conficerent numerum 666; & si habuissent, nihil inde conficeretur; siquidem ex hac nota non licet argumentari affirmativè: *Hujus nomen conficit numerum 666. Ergo est Antichristus*, sed tantum negativè: istius nomen non conficit hunc numerum. Ergo non est Antichristus. *Dicunt heretici 1.* Nomen Lateinos eundem numerum conficere, & hoc omnibus Romanis Pontificibus convenire. Verum hoc nomen inprimis non ipsi hæretici invenerunt; sed Irenæus, qui tamen addit, multò probabilius esse, nomen Antichristi non fore Lateinos, sed Teitan, quod etiam numerum illum exprimit, multoque illustrius, cum solem significet.

A	30	T	300
T	1	E	5
E	300	I	10
I	5	T	300
N	10	A	1
O	50	N	50
S	70		
S	200		
<hr/>			
	666		666

Adhæc nomen istud Lateinos nimis est generale, omnibusque Romanæ ditionis incolis commune, ideoque non idonea nota Antichristo. Demum ut numerum istum 666. inde efficiant, depravant nomen Lateinos scribendo per ei, cum tamen per i simplex sit scribendum. *Dicunt 2.* hoc mystico numero in Apocalypsi posito non significari nomen Antichristi, sed tempus adventus. Verum jam ostendimus, in hoc assignando Secretarios minime convenire, nihilque verosimile afferre posse. Et quamvis Lutherus in suis Biblijs ad cap. 13. Apocal. scripserit, hos esse 666. annos, quibus stabit Papatus, tamen à tempore Gregorij M. quo corruisse fingitur, firmus adhuc per mille & plures annos perdurat. Videri potest Lessius Demonstrat. 2. de Antichristo. *Dicunt 3.* Numerum 666. indefinitè sumi pro magna multitudine, & significare catalogum omnium Antichristicolarum. Verum hoc significatum repugnat usui Scripturæ & omnium Scriptorum, nullus enim ostendi potest, qui tam expressum & nominatum numerum indefinitè usurpavit: nec tam parvus numerus innumeræ multitudini Antichristicolarum quadrat. Silentio non hic præteream ingens delirium Philippi Mornæi sive Plessæi supra cit. in sua historia Papatus; quasi Antichristum Romanum in Paulo V. Papa ex proprio ejus nomine veluti manibus deprehenderit; eò quod hæc verba Paulo V. Vice-Deo conficiant numerum 666. Credo, ipsummet stolidum hominem risisse, cum ita secum nugareretur, & quasi chimeram cepisse se arbitraretur, dignum scilicet factum, quod scripto propalaret!

XXIV. *Secunda Nota est Vilitatis stirpis & familia Antichristi*, ut indicat Daniel. c. 7. v. 8. vocans illum *cornu parvulum*, ut Patres interpretantur; credibile autem est, ex Hebræis nasciturum, alioquin isti non reciperent eum pro Messia promisso, sive deinde propageretur ex tribu Juda instar Messie veri juxta prophetiam Isaiæ c. 11. v. 1. *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini &c.* sive & forsitan probabilius ex tribu Dan secundum prædictionem Jacob Patriarchæ Gen. 49. v. 17: *Fiat Dan coluber in via, cerasta in femina*, quibus metaphoris Antichristum fuisse designatum, non pauci Doctores arbitrantur, Apocal. 7. non fit mentio signatorum pro cælesti Beatitudine ex tribu Dan, quia hi non ita multi fururi sunt, plerisque Antichristo ex tribus Dan orituro adhaerescibus, ut volunt Irenæus, Ambrosius, Augustinus & alij Patres relati apud Tirinum in cit. locum. Neque ista Nota convenit Romanis Pontificibus. Nam præter S. Petrum & S. Evaristum nullus è Papis fuit Judæus, & hi ipsi longè ante numerum 666. vixere, ex quo hæretici Antichristum inchoant. Hic silent Novatores.

XXV. *Tertia est temporis*, quando Antichristus sit venturus, quamdiu victurus, regnaturus, & Ecclesiam persecuturus. *Quoad 1.* certus dies vel annus, quo venturus sit, nescitur; cum DEUS nec in Scriptura, nec extra cuiquam id revelaverit, sed hujus rei noticiam sibi soli reservavit. Unde Concilium Lateranense sub Leone X. Sess. 11. Concionatoribus interdixit, ne Antichristi adventum aut certum diem judicij prædicere vel asserere præsumerent, cum veritas dicat Act. 1. v. 7. *Non est vestrum nosse tempora*; quæ in re etiam multi Sancti Patres decepti sunt; existimantes, Antichristum suo tempore adventurum; ut S. Hilarius ante annos 1300. S. Gregorius ante annos mille &c. Cæterum durante Romano Imperio non venturum Antichristum, sed paulò ante extremum judicium circa finem mundi docent omnes reliqui SS. Patres apud Bellarminum lib. 3. de Rom. Pontific. cap. 5. & nos supra jam diximus ex D. Paulo 2. Thessal. 2. v. 3. *Quoad 2.* quamdiu victurus sit Antichristus, omnino latet, facilis tamen est conjectura, eum ultra communem hominum ætatem, hoc est, 70. annorum non victurum; imò intra; siquidem violentè morte à Christo interimetur, non expleto vitæ termino. *Quoad 3.* quamdiu regnaturus sit, etiam non constat; potest tamen ex dictis colligi, eum tantum diu non regnaturum, quamdiu vixerit, quia non nascitur Rex, sed regnum violentè occupabit jam adultus; diutius tamen regnaturum, quam persecuturus sit Ecclesiam; ostendit Suarez lib. 5. contra Regem Angliæ c. 9. aliquot conjecturis, quæ apud eundem videri possunt. *Quoad 4.* denique persecutio Antichristi non erit diuturna, sed tantum durabit tribus annis cum dimidio, ut supra jam diximus, & expressè docent Prophetæ Daniel & Joannes; ille enim c. 7. v. 25. ait: *Sancti tradentur in manu ejus usque ad tempus & tempora, & dimidium temporis*: iste verò c. 12. v. 14. ubi idem repetit; per tempus autem intelligunt Patres annum unum: per tempora in duali numero duos annos: per dimidium temporis medium annum, valde convenienter stylo Danielis, qui sæpius nomen temporis pro anno usurpat.

gha
er
ologia
emica
XI

XXVI. Adhæc Mensuræ numerus, quo eadem persecutio Antichristi limitatur, exactè convenit cum tribus annis & dimidio; Nam Apocal. 11. v. 30. ponuntur menses 45. qui ad amissim faciunt tres annos cum dimidio: dies verò à Prophetis nominati tam strictè non respondent annis; quia Daniel c. 12. v. 11. ponit dies 1290. qui prædictum numerum superant 13. diebus: Joannes verò c. 12. v. 6. assignat dies 1260. ubi deficiunt dies 17. etenim tres anni cum dimidio faciunt dies 1277. Cujus diversitatis causa fuisse videtur, quod Joannes non voluerit definire tempus totum Antichristianæ persecutionis, sed tantum prædicationis duorum Prophetarum Enoch & Eliæ, vel delitescens Ecclesiæ, cum Sancti in montium se cavernas abdent: Daniel autem voluerit indicare perfectionem Antichristi aliquantulum ultra dimidium annum productum iri, adeoque dimidium temporis sive anni non tam strictè sumendum pro 182. diebus, sed circiter, plus minus &c. Hæc quoque Nota minimè Romanis Pontificibus convenit, utpote qui ultra 1600. annos jam duraverunt. Hæretici, ut ex hoc laqueo se extricent, variè torquent verba Sac. Scripturæ de tempore, & de temporibus, & dimidio temporis. Aliqui dicunt, sumi indefinitè pro certo tempore, quod minimè credibile. Tum quia idem numerus toties & tam diversis modis dierum ac mensium in Scriptura expressus est, ut planè videatur aliquid determinatum significare. Tum quia ad consolationem Fidelium prædictus fuit finis persecutionis brevi futurus; si autem citatus numerus indefinitè sumeretur, nihil afferret solatii ignorantibus finem. Alij accipiunt tempus pro 500. annis, tempora pro 1000: dimidium pro 250. ut universim conficiant aões 1700; tam diu enim duraturum ajunt Papatum. Sed hæc aliæque similia prorsus fabulosa sunt nullà ratione vel autoritate fulta, nec chronologiæ congrua, nec Sacræ Scripturæ consona, quæ breve tempus Antichristianæ persecutioni præfigit, ut ostendunt Bellarminus Gretserus, Lessius, & alij.

XXVII. Quarta Nota est loci, in quo Antichristus regiam suam Sedem & Residentiam collocaturus sit. Communis Catholicorum opinio est, Antichristum Hierosolymis suum thronum & Sedem posturum, sicut insinuat Daniel Proph. c. 11. v. 45. *Figet tabernaculum suum Apadno inter maria supra montem inclitum & Sanctum*; ubi hebraica vox Apadno significat tentorium suum, quam S. Hieronymus noluit in latinum vertere, suspicans, esse forsitan nomen proprium loci, sed hodie communiter pro appellativo sumitur, ut sensus sit: tabernaculum tentorii sui figet inter duo maria supra montem Sanctum; quæ descriptio optimè quadrat Hierosolymæ, quæ sita est inter duo maria scilicet mortuum & mediterraneum, habetque in medio montem Moriam cognomine Sanctum, quia olim templum Salomonis in eo steterat. Clariùs id expressit S. Paulus 2. Thessal. 2. v. 4. ajens, *Antichristum in templo DEI sessurum tanquam DEUM*, nomine templi per antonomastiam intelligens Hierosolymitanum, velut præcipuum & magnificentissimum in toto terrarum orbe. Hanc Notam non cadere in Romanos Pontifices luce meridiana clariùs est; siquidem post S. Petrum nullus Papa Hierosolymæ suam Sedem collocavit, ut constat ex historijs.

XXVIII. Dicunt Sectarij, sedem Antichristi non Hierosolymæ, sed Romæ collocandam. Tum quia huic convenit descriptio Danielis. Tum quia templum Hierosolymitanum jam funditus destructum est, & quidem irreparabiliter juxta Daniele cap. 9. v. 27: *Erit in templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio*. Sed neutrum horum; argumentorum aliquid evincit. Non 1. Tum quia Romæ nullus est mons Sanctus, ut loquitur Daniel. Ergo non est locutus de Roma. Tum quia Joan. Apocal. 11. v. 8. clarè docet, illam urbem fore Hierosolymam, ait enim duos Prophetas ab Antichristo occidendos, & corpora eorum aliquamdiu mansura in plateis civitatis magna, ubi Dominus crucifixus est. Atqui Christus non Romæ, sed Hierosolymæ crucifixus fuit. Non 2. Quia in fine mundi ad conciliandam Judæorum benevolentiam Antichristus templum illud Hierosolymitanum reedificabit, atque in eo Sedem & imaginem suam collocans pro Deo adorari volet; & licet tempore non multo regnaturus sit, ob potentiam tamen & multitudinem hominum (maximè Judæorum, qui opus illud mirrabunt) brevi maximam illam molem restaurabit.

XXIX. Quinta Nota est vitiorum Antichristi, qui homo erit sceleratissimus, & omni flagitiorum genere opertus; unde in Sac. Scriptura per antonomastiam vocatur homo peccati, & filius perditionis. 2. ad Thessal. 2. v. 3. Potissimum autem quinque vitia in illo dominabuntur; nimirum superbia, Idololatria, Magia, Crudelitas, & Libido. Quæ distinctius explicando Superbia tanta erit, ut omni Numine contempto solus pro Deo haberi & coli velit, ut diximus supra §. IX. Quare abolito missæ Sacrificio, ut saltem publicè non liceat celebrare, sibi Sacrificari volet Danielis 12. v. 11. *Et à tempore, cum ablatus fuerit jure Sacrificium, & postea fuerit abominatio in desolationem*; id est, idolum Antichristi, in signum professionis divinitatis suæ omnibus affectis suis in fronte vel manu imprimet certum aliquem characterem, sine quo nemini vendere vel emere licebit, sed omni humano commercio destitutus fame mori debet Apocal. 13. v. 16. Quem characterem Viegas putat esse imaginem Antichristi à morte resurgentis. Ribera mavult Draconis, uti aquilam gestat Romanorum Imperator. Sed malo cum Primasio & Ansberto (qui hoc sibi à Deo revelatum asserit) apud Tirim in locum cit. dicere characterem hunc esse tres litteras initiales Nominis *χρῆς*, quod sibi vendicabit Antichristus hoc modo: ubi duæ lineæ transversæ X faciunt, græcum respondens Latino ch: littera P est, & græcum respondens R latino: tertia linea est, jota græcum & i latinum simul faciunt *χρῆ*, seu Chri, quod initium est compendium & summationum Nominis Christi, quem se finget Antichristus. Et hanc eandem notam seu characterem in labaro Castris suis præferebat contra Maxentium & alios hostes Constantinus Imperator, teste Prudentio, quid ni & Antichristus, qui ab omnibus voler haberi, nominari & coli, ut Christus. Idololatria ab Antichristo committeretur, quia clam adorabit idolum, in quem idcirco implicitè recideret adoratio, quam palam ipse sibi postulabit; diabolum autem, inquit Daniel c. 11. v. 38. Maozim in loco suo colet, & DEUM, quem ignoraverunt Patres ejus, coler



colet auro & argento lapide pretioso, rebúsque pretiosis. Magia suá Antichristus homines plurimos seducet 2. Thesal. 2. v. 9. *Cujus est adventus secundum operationem Satanae in omni virtute & signis & prodigijs mendacibus.* Speciatim autem tria hujusmodi miracula ipsum facturum diximus supra §. 3. cit. in quam rem utetur operá alicujus insignis impostoris sub figura bicornis bestiae Apocal. 13. v. 11. descriptae: *Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra, & habebat cornua duo sicut agni, & loquebatur, sicut Draco.* Et potestatem prioris bestiae omnem faciebat in conspectu ejus, & fecit terram & habitantes in ea adorare bestiam primam, cujus curata est plaga mortis. *Et fecit signa magna, ut etiam ignem faceret de caelo descendere in terram in conspectu hominum. Et seduxit habitantes in terra propter signa, quae data sunt ei facere in conspectu bestiae dicens habitantibus in terra, ut faciant imaginem bestiae, quae habet plagam gladii, & vixit.* *Cruelitas* Antichristi in Sanctos & justos erit terribilis; Nam, ut ait, S. Joannes cit. cap. v. 15. *quicumque non adoraverit imaginem bestiae, occidetur.* Tunc implebitur prophetia Christi, de qua §. IX. cit. Ad quam rem Antichristus utetur operá Scytharum, hoc est, Tartarorum, Moscovitarum & similibus barbararum Gentium ex Aquilone venientium, quas Ezechiel c. 38. v. 2. vocat Magog, & Ducem eorum Gog sumpto nomine hebraico à Magog filio Japheth Gen. 10. v. 2. qui fuit primus incolae Scythiae. Interim Ecclesia solito splendore destituta non tamen penitus peribit, sed illustri Martyrum constantiá propugnabitur, in quorum subhiúo DEUS mittet duos insignes Prophetas gratiá miraculorum pollentes Apocal. 11. v. 3. ubi, licet Joannes istorum nomina non expresserit, tamen ex alijs locis Sac. Scripturae recte colligitur, eos fore Enoch & Eliam, de quibus diximus supra §. VI. *Libido & Impuritas* Antichristi traditur à Daniele c. 11. v. 32. his verbis: *Et in concupiscentijs seminarum;* licet autem hebraicus textus, qui nunc extat, contrarium innuere videatur, quasi non esset curaturus foeminas, tamen magis est credendum S. Hieronymo Interpreti, qui correctiorem textum habuit. Hanc Notam vitiorum haeretici conglobatis mendacijs & spissis calumnijs in Romanos Pontifices torquent, indeque luculenter demonstrare se arbitrantur, illos esse Magnum Antichristum, cum nihil praesent, & oppositum res ipsa luce meridiana clarius doceat, ut ex sequentibus punctis apparebit.

XXX. *Primum.* In nullo unquam Pontifice tanta fuit Superbia, quantam etiam Sac. litterae Antichristo tribuunt. Quis unquam unus ex omnibus Papis pro DEO haberi, atque adorari voluit? Nunquid omnes supplices unum DEUM adorant, & Christum genuflexi in templo, domi, forsique colere frequenter videntur. Ergo nullus fuit Antichristus. Dicunt Sectarij Quantumvis Romani Pontifices nomen DEI expressis verbis non usurpent, ea tamen, quae DEI propria sunt, sibi vendicant, & sic implicite & re ipsa pro Dijs se jactant. Nam 1. volunt omnibus Regibus & Principibus dominari, adeoque coli super omnes Deos, siquidem in Scriptura Principes vocantur Dij. Psal. 81. v. 6. *Ego dixi, Dij estis, & Filij Excelli omnes.* 2. usurpant sibi titulum DEO proprium, & appellari affectant Sanctissimi. 3. postulant flexis genibus adorari etiam à Regibus & Principibus, ac pedibus osculum figi, qui est cultus DEO proprius. 4. Alexander III, tali genuflexione &

pedum osculo non contentus Friderici I. Imperatoris (a capillo & barba dicti Anobarbi) caput pedibus calcavit apud Venetos in Ecclesia S. Marci has edens voces: *Super aspidem & Basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Haec omnia sunt profus frivola, & ex vano hausta eodem abeunt. Romanos Pontifices saepe saepius pauperum pedes lavare, lotisque osculari, aedes hospitales visitare, & aegros ibi ac moribundos varijs modis consolari, peregrinos suscipere, ijs ad mensam sedentibus inservire, cibos apponere, potum porrigere, aliaque magna humilitatis exempla praebere, videt etiam oculis suis Roma, & manifestius est, quam ut pluribus ostendatur. Facietne simile quid Antichristus? aut de isto hujusmodi animi submissionem Sacra Scriptura prodit? Nequaquam, sed merissimum animi tumorem.

XXXI. Respon. ad 1. inter DEOS improprie dictos primum locum certo modo ac ratione sibi vendicare, non est velle proprie pro DEO haberi; aliás Romanus Imperator Deitatem affectaret, dum ab omnibus primas sibi deferri postulat. Ad 2. titulum Sanctissimi longe alio sensu tribui Pontifici, quam Deo; etenim DEUS essentialiter & infinite Sanctus est: Pontifex verò, quantenus Vicarius Christi, Sanctissimus, id est, reverendissimus appellatur; alioquin nemo nec Sanctus nec bonus appellari posset, cum in Scripturis non tantum superlativi, sed etiam positivi DEO approprientur; Angeli enim in caelis semper clamant Sanctus, Sanctus, Sanctus Isaia 6. v. 3. Et Chrus Marci 10. v. 18. ait: *nemo bonus, nisi unus DEUS,* scil. in omni genere bonitatis absque ullo defectu, interim non negans tales titulos inferiori sensu etiam hominibus tribui posse. Ad 3. venerationem genuflexionis & osculi pedum à Papis non imperatam, sed à Regibus & Principibus ultro delatam fuisse, dum considerabant non humanam personam, sed Christi dignitatem, cujus Personam Papa repraesentat. Olim etiam Episcoporum pedibus oscula figebantur, teste S. Hieronymo apud Baronium Tom. 4. fol. 574. quod Isaia c. 49. v. 23. de Christianis vaticinans futurum praedixit: *vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent.* Praedictam Papae adorationem Theologi communiter docent reducendam esse ad Duliam ob supernaturalem excellentiam & specialem ordinem, quem ex officio & gradu suo ad DEUM habet. Videri potest Diana Part. 11. Tract. de adoratione Papae. Ad 4. meram esse fabulam, quod de Alexandro III, Caput Friderici I. Imperatoris calcante affertur. Nam ut haeretici Romanum Pontificem summis aequè ac infimis quàm exosissimum faciant, & eum esse magnum Antichristum omnibus persuadeant, absurdissima quaeque ac truculentissima de illo scribunt in libris, clamant in pulpitis, effutunt in plateis & cauponis. Sic Joannes Gerhardtus in Epistola Dedicatoria Lib. 2. Part. 1. Confessionis Augustanae impudentissimè scribere fuit ausus, Alexandrum III. Papam indignè ac superbe tractasse Fridericum I. Imperatorem, atque aperte Antichristum se demonstrasse, dum pede caput ejus calcans basilisco & bestiis illum comparavit, imò Sultanum Saracenorum Iconij residentem per litteras rogavisse, ut eundem ex imagine ipsius (quam vivis coloribus expressam epistolae adjunxerat) cognitum è medio tolleret &c. Sed hanc

E e

merissi-

merissimam esse fabulam, luculenter ostendunt Cardinalis Baronius A. C. 1177. Num. 86. & 87. ac præter alios P. Foret in antiquit. Papat. præfat. ad Lect. item in peculiari libello germanico de Antichristo prope finem.

XXXII. Quoad caput Imperatoris pede Papæ tyrannice calcatum, nec minimam hujus mentionem facit Romualdus Archi-Episcopus Salernitanus; qui Legatus Wilhelmi Regis Siciliae rem totam & conventionem inter Alexandrum III. Papam: & Fridericum I. Imperatorem oculis & auribus perceptam habuit, & dein copiose ac minutatim descripsit; hæc sunt illius verba ex Baronio cit: *Cumque ad Papam appropriasset (Imperator) tactus divino Spiritu DEUM in Alexandro venerans Imperiali dignitate postposita rejecto pallio ad pedes Papæ se extenso corpore inclinavit. Quem Alexander Papa cum lacrymis benigne elevans recepit in osculo & benedixit, mox à Teutonicis Te DEUM laudamus est excelsa voce cantatum; Imperator autem apprehensa manu Papæ dexterâ ipsum in Ecclesiam introduxit, & accepta ab illo Benedictio ad palatium Ducis cum suis redijt. Similiter nec litterulâ meminerunt calcati à Papa Imperatoris Narratio concordiae inter Alexandrum III. & Fridericum I. Parisijs anno 1162. impressa, Rogerus, & alij Scriptores illius temporis. Ex Auctoribus, quos Gerhardus pro se allegat, antiquissimus est Joannes Capistranus, qui tamen ducentis annis junior est, quam conventio inter Alexandrum & Fridericum facta. Et iste plus fidei mereatur, quam Romualdus, qui oculis omnia inspicxit, & auribus percepit? Non obstat, Catholicos etiam Scriptores Capistrano consentire; facile quippe est, in rebus historicis non satis cautè procedere, & citius æquo credere.*

XXXIII. Quoad Sultanum Saracenorum ab Alexandro III. per litteras rogatum, ut Fridericum Imperatorem ex transmissa imagine cognitum occideret, est istud quoque impudens & palpabile mendacium Balæi, Schardij, Gerhardi, & hujus farinae hominum. Nam 1. Alexander III. ut testatur historia novem ante annis mortuus est, quam Fridericus I. cum exercitu in terram Sanctam moveret, ut proinde quatuor Papæ Lucius III. Urbanus III. Gregorius VIII. & Clemens III. inter mortem Alexandri & prædictum iter Friderici interceserint, è quibus Papis ultimus adhuc vivebat, cum Fridericus moriebatur. Fieri igitur non potuit, Alexandrum III. litteris & imagine transmissis instigasse Sultanum Ionij, ut Fridericum mactaret. 2. falsum est, Fridericum Imperatorem reducem Brixiam appulisse; siquidem apertissime constat, eum in Armeniae amne, cum calorem natatu disjicere vellet; aquis haustum perijisse, sicuti Baronius A. C. 1. 190. & Gretserus Tom. 3. de S. Cruce L. 2. c. 23. ex historicis fide dignis apertissime demonstrant. 3. falsum est, Fridericum I. unquam à Sultano fuisse captum; ipse quippe Imperator potenti exercitu suo ita Suldanum domuit & subegit, ut iste coactus à Friderico Imperatore pacem & amicitiam supplicem periverit; de quo plura videri possunt in Basilico Dorò Gretseri c. 5. Quemadmodum igitur hæretici in hoc apertissimi & impudentissimi mendacij convincuntur, ita minimè dubitandum, figmentum esse vanissimum, quod de calcato ab Alexandro III. capite Friderici I. Imperatoris circumferunt. Videantur cit. Authores

XXXIV. *Secundum punctum.* Nullus Papa fuit Idololatra præter unum Marcellinum, qui metu mortis Idolis adolevit; ut constat ex Concilio Sinuesano; & epistola Nibolai I. ad Michaellem. Imò ipse Marcellinus non docuit aliquid contra fidem; nec, inquit Bellarminus L. 4. de Pontif. c. 8. in fine, fuit hæreticus vel infidelis, nisi actu externo ob metum mortis, iniquæ poenituit; & ipso sanguine maculam eluit, nec ejus delictum omnibus Successoribus adscribi debet. Calumniantur quidem Hæretici, idolum Pontificium fuisse Missam à Daniele Maozin appellatam, ubi perulantissime nugantur in verbis, hebraicam vocem Maozin cum latina Missa confundendo. Item cultum Sacrae Scripturae & Patrum testimonij rejiciemus. Nunc breviter advertimus, Sectarios audacter & turpiter à Verbis Danielis recedere; Nam Sanctus Vates DEUM Antichristi vocat novum, majoribus incognitum, & privatim colendum; cum Christus Deus semper à Christianis fuerit cognitus, & publicè Missa in omnium oculis celebretur.

XXXV. *Punctum tertium.* Nullus Pontifex magis convinci potuit, nec ullus talia signa dedit, qualia Antichristo attribuuntur. Calumniantur iterum hæretici, à Sylvestro usque ad Gregorium VII. omnes Pontifices fuisse Magos. Hottinger Hist. Eccles. Sec. x. scribere audeat, *Sedem Romanam sæculo decimo (id est, ab anno 900. usque ad annum 1000.) occupasse Antichristos, fures, invasores, Magos, prodigiosos, Simoniacos, Tyrannicos &c.* Hujus priorem partem jam rejecimus Controvers. XXVI. §. XXXIII. Pro posteriore citatus Hottinger Tigurensis Prædicans est capitalissimus Romane Ecclesiae hostis, & apud omnes Catholicos instabilis. Sed ajunt Adversarij, allegat pro se Baronium, Platina, & Genebrardum &c. Non ignoro; at malè allegat. Quis enim horum scriptis, sæculo decimo Romanam Sedem Antichristos & Magos occupasse? quis tam stultus & insanus ex his omnibus fuit, ut sic scriberet & sentiret? Baronius? an Genebrardus? an Platina? ubi? quo libro? Prædicto sæculo legitimi Pontifices, qui Romanam Sedem obtinuerunt, numero fuere 35. plerique omnes boni & probi summoque hoc fastigio minimè indigni, ut Ecclesiastica testatur Historia apud Cardinal. Gasparem Baronium: Sex solum ex iisdem nullam laudem merentur; nimirum Christophorus Romanus propter ambitionem. Mortuus an. 908. Sergius III. Romanus propter in castos amores an. 910. Lando sive Landus Sabinus propter indignorum ad Ecclesiasticas dignitates promotionem an. 912. Joannes X. Romanus propter incastos amores an. 928. Joannes XI. Romanus ob illegitimos natales an. 936. denique Joannes XII. Romanus ibidem propter incastos amores an. 964. Præter hos legitimos Papas reperitur in hoc sæculo unus etiam Antipapa sive violentus invasor Sedis Apostolicæ Benedictus nomine, cognomento autem Francone Romanus, qui sibi nomen Bonifacij VII. arrogavit, homo sceleratissimus, qui tamen pro legitimo Pontifice nunquam fuit agnitus. Contra hos solos septenario numero conclusos tendebant justissimæ illæ Cardinalis

Baronij, Platinæ, Genebrardi, Onuphrij, & Sidonij quærelæ ac disteria, quibus illos & maxime Bonifacium Antipapam in Scriptis suis affecturunt: Antichristos autem & Magos nunquam dixerunt, ut impudentissimè mentitur Hottinger.

XXXVI. *Punctum quartum.* Nullus Papa tantam crudelitatem exercuit, quantam exerciturus est Antichristus. Quis enim ex illis tribulationem tantam excitavit? quis Enochum & Eliam occidit? quis subditis suis certam notam impressit, sine qua nec emere nec vendere liceret? quæ profectò tribulatio talis & tam immanis erit, ut idcirco etiam Satanas modico tempore solvendus dicatur Apocal. 20. v. 3. & 7. *Dicunt ad istud hæretici 1.* Satis crudelem fuisse Innocentium IV. qui an. 1252. Inquisitionem instituit hæreticæ pravitatis, & omnes hæreticos exuri vivos iussit, quod deinde omnes Successores persecuti fuerunt. Sed contra est. Tum quia penam ignis in hæreticos non introduxit Papa, sed Fridericus II. Imperator, ut ostendit Cherubinus in compendio Bullarum fol. 11. Tum quia hæc pœna non infligitur bonis & iustis Christi famulis, sed hæreticis Christi hostibus. Tum quia raro exercetur ista severitas, ut Lanienam Antichristi, imò & hæreticorum minime adæquet, ut supra jam diximus. *Dicunt 2.* Enochum & Eliam esse non duos homines, sed duo testamenta Novum & Vetus, quæ dum eorum lectio in vernacula lingua à Pontificibus fuit prohibita, quasi mortua cadavera in plateis jacuerunt, donec Lutherani & Calvinistæ in vitam & splendorem pristinum revocarint. Sed contra est, quod hæc expositio recedat à proprietate verborum, repugnet SS. Patribus, nec ullâ ratione, sed meris calumnijs nitatur, sicuti & alia, quæ alij afferunt, nonnulli ex ipsis Adversarijs adventum istorum Sanctorum omnino pro comento habent, ut supra jam diximus. Cæterum vernacula versio Sac. Scripturæ interdicta est partim propter malignam interpretationem, partim propter abulum rudium hominum, ut suo loco diximus. *Dicunt 3.* hunc characterem in Sacramento Confirmationis imprimi. Sed contra est, quod iste character præter nomen nihil simile habeat characteri Antichristi; hic enim omnibus necessarius & visibilis esse debet, ut negotiatores sciant, quibus liceat negotiari: Sacramentalis autem character Confirmationis nec visibilis est, nec necessarius; siquidem nemo cogitur, ut hoc Sacramentum recipiat, & plurimi eo carentes nihilominus liberum habent commercium cum omnibus.

XXXVII. *Punctum quintum.* Nullus Papa (siquidem aliqui ab hoc vitio excusari nequeunt) tam libidinosus fuit, quàm futurus est Antichristus, qui non unâ concubina contentus promiscuè se varijs commiscebit, ut Daniel insinuat, dum loc. cit. ait, illum fore, in concupiscentijs feminarum, quibus verbis non solum multitudo mulierum indicatur, sed etiam effrænis libido, & huius impotentia; quasi diceret S. Propheta, in Antichristo non fore concupiscentiam, sed ipsum, fore in concupiscentijs immersum & obrutum. Hic enim verò triumphant hæretici, & exemplis Papalem libidinem docere contendunt, inter quæ, quia unum maxime crepant, & Gerhardus prædictæ epistolæ suæ Dedicatoriæ inferere sine fronte audet, id paulò fufius referre ac resellere volo. *Dicunt itaque Joannem VIII. fuisse sceminam*

natione Anglam, Moguntia natam, nomine Agnetem, quæ cum in Academia studuisset, assumpto habitu virili Romam deinde profectam publice docuisse, tantamque sapientiæ & eloquentiæ famam sibi comparasse; ut mortuo Leone IV. repente è Scholis ad Thronum Pontificis fuerit rapta, & annos duos, mentes 5. dies, 4. regnaret, donec in publicâ processioe Corporis Christi sub umbella Eucharistiæ circumferens repente conciderit, & infantem (erat enim prægnans) publice in platea pepererit anno 853. Probant hanc historiam tum testimonio plurium historicorum etiam Catholicorum, præsertim Mariani Scoti, Sigeberti Gemblacensis, Martini Poloni, & nonnullorum. Tum monumentis antiquis Romæ adhuc extantibus; Nam ajunt 1. in memoriam flagitij hujus extractum esse sacellum, & in eo lapideam statuam Pontificis infantem manu tenentis. 2. ibidem asservari sellam interius perforatam, cui recens electus Pontifex insidere debebat, ut clam exploretur, num sit vir aut femina, ne rursus erretur. 3. illam plateam, ubi hoc facinus contigit, vitare Pontifices, nec unquam amplius transire. Ecce præclarum specimen Pontificiæ castitatis, sanctitatis, & successione!

XXXVIII. Quamvis istam notam, quam hæretici Sedi Apostolicæ impingere per Joannam Papisam laborant, jam pridem efficacibus rationibus ab ea repulerint, & in nihilum redegerint ex Catholicis Onuphrius Panvinius in annot. ad Platinam. Bellarminus Lib. 3. de Pontific. c. 14. Gretserus Tom. 2. defens. ibid. Florimundus Remundus in singulari Tract. Serarius Lib. 1. rerum Mogunt. c. 42. Georgius Scherer in tract. German. Laurent. Forer in Antiquit. Papat. Præfat. ad Lect. & præter alios Joannes Stalenus in peculiari libello, cujus titulus: *Papissæ Monstruosa & vera Fabula.* Ex A Catholicis autem præter alios Blondellus Calvinista in Gallia celebris, affirmans falli vehementer omnes, qui hanc fabulam pro historia contra Pontificios jactant. Nihilominus quia nostrates Sectarij non cessant nugas has & calumnias identidem in lucem de novo producere, & tanquam rem luce clariorem vendere, paulò pluribus eam hic expendemus. Itaque

XXXIX. *Primò.* Etiam si totam hanc historiã daremus esse verã, nihil faceret ad rem. Tum quia, si Joannes VIII. fuit Mulier, non fuit verus Pontifex; siquidem muliebris sexus ex institutione Christi incapax est sacrorum Ordinum & Ecclesiasticorum. Videri potest Diana Part. 12. Tract. de Consecrat. Episcopi, ubi præsentem casum adducit. Tum quia sub hoc Monstro Sedes Apostolica vacasset, quod continuæ Successioni Romanorum Pontificum tam parum obest, quàm parum Romanorum Imperatorum successio interrumpitur ex eo, quod imperium à Friderico II. usque ad Rudolphum II. per annos 28. vacaverit. Tum quia ex unico exemplo alicujus Pontificis libidinosi non rectè inferitur, omnes Pontifices instar Antichristi esse impuros; sicuti inferri non potest: unus Concionator fuit diabolus, uti habetur in vitis Patrum. Ergo omnes Prædicatores sunt diaboli. Tum quia muliebris impudicitia non convenit Antichristo, qui erit vir in concupiscentijs feminarum. Tum quia multis gravibus argumentis ex autoritate & ratione ductis ostendi potest, hanc narrationem esse merissimam fabulam,

uti citati Authores egregiè præstiterunt, & ex sequentibus satis apparebit. Unde

XL. *Secundò.* Narratio hæc nullo legitimo nititur Authore. Nam qui eo tempore vixerunt, cum hoc accidisse dicitur, vel paulò post, in suis Chronicis nullam hujus facti mentionem faciunt, ut Anastasius Bibliothecarius, Rhegino Abbas Prumiensis, Rudolphus Fuldenfis, Ado Viennensis, Odo Cluniacensis & alij, quos adducit Stalenus Tract. 2. sui libelli: illi autem, quos hæretici in contrarium citant, aliquot sæculis postea vixerunt; imò Marianus Scotus & Sigebertus Monachus Gemblacensis nihil horum scripserunt, ut aliquis illorum libros corruperit. Martinus Polonus Ord. Prædicat. Pontificis Pœnitentiarius, Archi-Episcopus Gnesnensis, cæterum homo simplex dubiè loquitur deceptus à Schismaticis in odium Pontificis talia fingentibus, ut ostendis Cardin. Baronius annò Christi 891. quomodo Platina & alij decipi poterunt. Videatur Stalenus Tr. 6. ubi de istis singulis & alijs Scriptoribus egit ex instituto eorum verba adducens. Non obstat, multos Authores tam ante quàm post Lutherum huic narrationi de Joanna Baptistâ adstipulari; quippe observamus verba Justiniani L. 1. §. sed neque C de veteri jure enucleando: *Non ex multitudine Authorum, quod melius & æquius (seu verius) est, judicavote.* Nam sicuti apud Juris-Consultos sententiâ à quinque Doctoribus bene expensa præfertur opinionî à quinquaginta Doctoribus rem obiter inspicientibus subscriptæ, ut sapienter advertit Decius Consilio 494. ita in historia, ac nominatim in monstroso isto facto seu figmento de Joannâ Baptistâ vilipendendus est cumulus Chronologicorum & Historicorum, quorum unus ab altero, & simul à pravo suo affectu seduci se finit. Sed ajunt Adversarij, cur ante Lutherum nullus contra eam scripsit, aut in dubium traxit? Resp. 1. omnes Scriptores tempore Leonis IV. & Benedicti III. & sequentibus 400. annis directè oppositum scripsisse, dum unanimiter tradunt, Leoni IV. immediatè successisse Benedictum III. & nullius Joannis intervenientis meminere 2. dubitasse omnes de hac fabula; qui dubiè de eadem scripserunt, ut nominatim fuit Platina. 3. neminem ei fabulæ se opposuisse, quia ejus vanitas omnibus satis constare videbatur, donec post Lutheri apostasiam Sectarij jam evanescentem iterum restaurare, & per illam offuscare Sedem Apostolicam studuerunt.

XLI. *Tertiò.* Circumstantiæ hujus narrationis sunt prorsus incredibiles. Quia 1. dicitur Anglâ fuisse; & Moguntia nota; cum tamen Moguntia sit in Germania. 2. studuisse in Academiâ Atheniensi; cum tunc temporis Athenis nulla fuerit Academiâ, teste Sinesio Episcopo in Epist. ad Frat. 3. Roma versata & pro viro habita, quia virilem habitum gestabat; cum tamen vestitus non possit ita tegere muliebrem sexum, quin in gestibus, incessu, vultu & voce dignosci possit. 4. ex Scholis repente ad thronum Pontificum rapta, quod planè alienum est à moribus Romanis, nullus enim legitur electus; nisi prius Episcopus vel Sacris Ordinibus saltem initiatus. 5. biennium & quinque menses regnasse inter Leonem IV. & Benedictum III; quòd spatium non coheret cum communi Chronologia dierum Pontificum, nisi alterutri aliquot menses subtrahas, ut præclare ostendit Stalenus Tr. 2. cap. 3. 6. in festo Corporis Christi Eucharistiam

circumgestasse; cum illud festum nondum fuerit institutum, sed 400. annis postea, scil. anno Christi 1262. 7. denique dicitur in publica processione puerum peperisse; quis autem credat, tam astutam sceminam imminente jam partu, cujus prævios dolores senserat, publicæ processioni se commisisse cum periculo se manifestandi?

XLII. Vetera quoque monumenta hujus facinoris à Sectarijs allata sunt mera figmenta. Nam 1. nulla talis capella & statua Roma invenitur. Et quis credat, Romanos tam stupidos fuisse, ut in perpetuam hujus sceleris memoriâ sacrum sacellum erexerint, suamque ignominiam, quod à femina tam turpiter decepti fuerint, perpetuaverint? Extat quidem Romæ aliqua statua viri Ethnici adstante puero quasi famulo; sed ad rem nihil facit. 2. *Sella lacera, cui Pontifex recens electus primùm insidet, non eo fine est perforata, ut sexus exploretur (quod ante electionem fieri deberet) sed humilitatis gratiâ, ut meminerit, se ex humili statu ad tantam dignitatem evectum; propterea sedenti accinitur ex 1. Reg. 2. v. 8. Suscipat de pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem.* 3. *plateam,* ubi hoc contigisse dicitur, sæpius Pontifices transiisse, testatur Onuphrius Panvinius in suis Annot. ad Platina, quemvis crebrius transeat per alias plateas comodiore. Plura de monstroso hac Papissâ videri possunt apud cit. Auth. Solum addo, nonnullos apud Dianam loc. cit. pitrare, occasione huic fabulæ dedisse fræminam hujus nominis, quæ in Pontificatu Joannis VII. præpotens fuit, ut vulgò Papissa audiret; unde crescenti paulatim famæ facile fuit addere reliqua; ex quibus fabula ista ita speciose texeretur, ut imperitis Scriptoribus historia videretur; essi Cardinalis Bellarminus Lib. 3. de Rom. Pontif. c. 24. ejusdem originem velit ab aliâ quadam femina, quæ teste Leone IX. in epist. ad Michaelē inter multos Eunuchos in Patriarchalem Sedem Constantinopolitanam irrepit; quam dein historiam Romanæ Ecclesiæ hostes à Constantinopolitano Patriarcha ad Romanū Pontificem converterunt, & varijs circumstantiarū phaleris auxerunt.

XLIII. *Sexta denique nota Antichristi est horrendus ejus interitus.* Nam Christus suorum miserum anima capiet, & ut scribit S. Joannes Apocal. 19. v. 10. & seq. comitantibus Angelis visibiliter de cælo descendet præliaturus cum Antichristo, cui iste audacter se opponet, sed fuso exercitu ipse cum suo Pseudopropheta fulmine ictus ad inferos descendet; unde vers. 20. dicitur: *Et apprehensa est bestia, & cum ea Pseudopropheta, qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestia, & qui adoraverunt imaginem ejus. Viri missi sunt hi duo in stagnum ignis ardenis sulphure.* Ubi, inquit, lacer textus cap. sequent. v. 10. *truciabuntur die illi nocte in sæcula sæculorum.* Euudem hunc Antichristi interitum indicat Apostolus ad Thessal. 2. v. 8. verbis supra cit. *Quem Dominus JESUS interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione adventus sui, hoc est, perdet & absument non arcu & gladio, sed solo Spiritu seu flatu oris sui, id est, solo jussu & nutu suo per Michaelē Archangelum fulgure præcipitando illum è sublimi aère deorsum, unde terrâ dehiscente vivus corpore & animâ in tartara à demoniis abripietur, mortuus tamen, antequam eò pertingat.* Hæc quoque nota minimè cadit in Romanum Pontificem; quis enim ex omnibus hoc

hoc modo perijt, hoc est, cœlesti fulmine tactus visibiliter ad inferos descendit?

ALIV. Confugiunt Sectarij rursus ad tropos dicendo, verba Prophetarum de interitu Antichristi non intelligenda proprie de corporali interitu, sed allegorice de morali, hoc est, de imminutione Pontificiæ Authoritatis, quæ facta sit Spiritu oris Christi per prædicationem Prædicantium. Verùm in hac responsione præter commune vitium proprietatis sæpius jam castigatæ etiã manifesta falsitas continetur; quippe Potestas Pontificia hætenus non est imminuta; sed potius amplificata fuit per conversionem Indorum, quæ Apostasiam hæreticorum in Europa abunde supplevit. Prudens Lector ex uno hoc, quod de Sancto Francisco Xaverio Indiarum Apostolo scribit Jacobus Bozius de signis Ecclesiæ DEI sig. 20. conijciat, quantopere post Lutheri defectionem in prædictis Indijs Authoritas Pontificia creverit: *Universi, inquit, hæretici ab Ecclesia Christiana constitutione per tot secula per annos mille quingentos & amplius haud traduxerunt ad hæreses suas tot gentes aut idololatrias aut alioquin à Christi cultu alienas, quot unus Xaverius ad Christi cultum annis undecim. Unus Xaverius plures gentes & homines plures annis undecim Christo adjunxit, quam immensa hæreticorum millia ex omni gente & natione è toto orbe terrarum per annos mille quingentos.* Ita ille.

XLV. Cum igitur ex hætenus dictis liquidissime constet, nec Singulariãtatem Antichristi, nec Nomen, nec Stirpem, nec Tempus, nec Locum, nec Mores, nec Interitum competere Romanis Pontificibus, nullã probabilitate dici potest, eosdem Romanos Pontifices esse Magnũ Antichristum. Unde Protestantes graviter audire non possunt vocem illam; & publicam protestationem Serenissimi Principis & utriusque Bavarie Ducis, ac postea Sac. Rom. Imperij Electoris Maximiliani in postremo colloquio Ratisbonensi Anni M.D.C.I. Sess. 13. cum ad obtundendum impudens os Hunnij graphice ac libere diceret: *Vos appellastis Romanum Pontificem Antichristum; qua est injuria insignis & clarissima, & hoc nunquam probabitur.* Et rursus: *imò est insignis injuria; qua redundat in omnes Catholicos.* Nam si Romani Pontifices sunt Antichristus Magnus, sequitur apertissime 1. Idipsum Romanum Imperium Francos & postea Germanos laudatissimos Imperatores per Antichristum accepisse. Sequitur 2. Antichristum Germanis Principibus potestate atque Authoritatem tribuisse eligendi Imperatorem. Sequitur 3. Germaniam nullos unquam verè Christianos Principes atque Imperatores ante Lutherum: sed Idololatrias & Antichristi prostibula habuisse: Imò nec orbem terrarum: siquidem omnes Reges, & Principes Christiani ante Lutherum sese Romano Pontifici subjectos & obnoxios profitebantur, tanquam Oves Pastori & tanquam Discipulos Magistro; ac tanquam Filios Patri. Sequitur 4. Romanum Imperium jam ante mille annos sublatum fuisse, cum hæc certa sit Notã adventus Antichristi, ut ex Apostolo & Daniele Prophetã magno consensu docent Græci ac Latini Patres apud Cardinal Bellarminum Lib. 3. de Pontific. c. 5. supra jam citato. Judicent autem ipsimet Protestantes, an non isthæc cedant in gravem injuriam Romani Imperij sub Augustissimo & felicissimo Imperatore Leopoldo I. etiamnum florentis? DEUS porro ad defensionem Sac. Rom. Ecclesiæ & Imperij dexteram Majestatis suæ extendat? Videatur Opus germanisõ idiomate re-

cens editum à P. Christophoro Ott Societatis JESU, cujus titulus ROMA GLORIOSA; ubi 243. Paparum vitas, mores, ac gesta fideliter recenset, & ad hæreticorum objectiones solide respondet in nullo à doctrinis nostris dissentiens.

CONCILIA.

UNIVERSAM Religionis Controversiam, qui compendio expedire volet, is ex Concilijs veteris orthodoxæ Ecclesiæ nullo negotio intelliget, quam partium hæc ætate sibi adversantium veram incorruptamque Fidem amplectatur; quamcumque enim cum articulis horum Conciliorum integrè consentire repererit, hæc à vera atque orthodoxa Religione aliena esse non potest. Unde magna semper fuit Authoritas Conciliorum in Ecclesia adversus multiplices fraudes hæreticorum, qui idcirco omnem operam industriam & laborem etiamnum adhibent in Ecclesiastica illa autoritate labefactanda, ut bene notat Cardinal. Bellarminus hæc in præfatione. Quare Pontifici imprimis subnectimus Concilia; cum hæc ab illo vel Corpus (Ecclesiæ scilicet Militantis, quam representant) à Capite visibili in terris dependeam, & qua à Doctoribus de iisdem inquiruntur, ac disceptantur, ad sequentes Controversias redigemus ac breviter expendemus.

CONTROVERS. XXXII.

CUIUS SIT CONVOCARE Concilium, & illi præesse.

I.

Albertus Pighius Lib. de cœlest. Hierarch. c. 1. Originem Conciliorum putat esse humanam, & naturali ratione excogitatam. Verùm etsi ratio naturalis dicitur, ut in rebus dubijs Princeps consulat viros peritos, tamen ut Episcopi solum conveniant, & isti non sint Conciliarij, sed Judices, non videtur solius rationis humanæ inventum; unde melius Bellarminus Lib. 1. de Concilijs censet, originem illam esse divinam; quia Sancti Patres docent, Concilia demonstrata fuisse illis Christi Verbis Matth. 18. v. 20. *Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, illic ego in medio illorum sum.* Et absque dubio Apostoli divini Spiritus motione inducti primarium illud Concilium Actor. 15. coegerunt, unde v. 28. ajunt: *visum est Spiritui Sancto & nobis &c.*

PARS PRIOR.

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

II. Nomen Latinum Concilij reperitur passim in utroque Testamento. Nomen Synodi habetur in Can. 38. Apostolorum. In græco textu loco utriusque, nempe Concilij & Synodi ponitur *συνάγωγη* vel *συναγωγή*. Reipsã Concilium est legitimus conventus Præsulum Ecclesiasticorum